Sacra Rituum Congregatione

*Emo, & Rmo Domino*

# CARD. GOTTI

## TOLETANA

*Beatificationis, & Canonizationis*

VEN. SERVÆ DEI

# JOANNÆ DE CRUCE

*Monialis Professæ, & Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Cruce propè Oppidum de Cubas, Tertii Ordinis S. Francisci.*

---

# POSITIO

SUPER DUBIO

*An stante non reperitione assertorum opusculorum originalium, possit ad ulteriora in Causa procedi.*



ROMÆ, MDCCXXXI.

---

Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ

*SUPERIORUM PERMISSU.*

10

que facti equivocationem, quæ facilè oriri posset ob Causæ antiquitatem, & lapsum annorum quadraginta, & ultrà ab impositione dicti silentii, ut Causæ status firmaretur, eadem Sanctitas vestra, annuendo instantiæ præfati Postulatoris, dignata sit mihi demandare, ut visis, & consideratis Causæ documentis, integram illius seriem prò veritate referrem; ac difficultates omnes, præsertim eas, quæ causam dederant impositioni silentii, restringerem, & proponerem, ut patet ex supplici libello cum rescripto edito die quinta Februarii proximè præteriti, mihi originalitèr tradito: Iis propterea, quibus par est, obsequio, ac sedulitate supremis Sanctitatis vestræ mandatis obtemperando, ea omnia, quæ mihi licuit ex authenticis documentis colligere, eidem Sanctitati Vestræ humillimè exponere aggredior.

Introducta fuit hæc Causa in Sacra Rituum Congregatione usque ab anno 1621.; Decreta autem, quæ in ejus successiva discussione juxtà seriem temporum prodierunt, sunt, quæ sequuntur.

Primum Decretum editum apparet die 23. Januarii dicti anni 1621, prò aperitione Processus Toletani. Facto autem verbo de hoc Decreto à Cardinali de Monte cum san.memor, Gregorio XV, die 3. Maii ejusdem anni in Consistorio secreto, accessit Summi Pontificis authoritas, ac deindè die 30, ejusdem Mensis idem Processus directus fuit ad Cardinalem Crescentium.

Quia verò Processus prædictus fabricatus fuerat Sede Episcopali vacante, Sacra Congregatio die 8, Maii ejusdem anni 1621, decrevit, ut videretur, an penès Capitulum resideret jurisdictio recipiendi hujusmodi probationes, Sede vacante, utque bon, mem, Joannes Baptista Spada tunc Consistorialis Aulæ, Fisci, & Cameræ Apostolicæ Advocatus super hoc articulo scriberet prò veritate; Et successivè referente Cardinali Crescentio die 29, Maii ejusdem anni dictum fuit, ut super eadem difficultate strictè informaret Cardinalis Sacratus; Iterumque referente clar, mem, Cardinali Crescentio, Processum fabricatum Sede vacante esse validum, conclusum fuit, Causam in tali statu esse, ut posset committi juxtà solitum Auditoribus Rotæ; Factoque verbo cum Sanctissimo à Cardinali de Monte die decima Julii sæpedicti anni 1621,, Sanctitas Sua annuit.

Anno 1626, die 7, Novembris, supplicante Cardinali Infante procedi ad Beatificationem Fratris Juliani de Alcalà, & Servæ Dei Joannæ de Cruce utriusque Ordinis Sancti Francisci, ac asserente, earum informationes fuisse à Rota examinatas, Sac, Congregatio respondit *meliùs informari*.

Anno 1628, die 12, Junii, stante relatione jam facta per Auditores Rotæ super Processibus, & Canonizatione Servæ Dei Joannæ de Cruce, supplicatum fuit Sanctissimo, ut mandaret Sacræ Rituum Congregationi, quod non obstante Decreto de non tractandis Causis Beatificationum, nisi in tribus Congregationibus ad id per annum destinatis, agi deberet de ista, & procedi ad ulteriora, attento quod elapsi essent anni 90, ab obitu Servæ Dei, qua supplicatione ad Sac, Congregationem remissa cum rescripto, ut relationem faceret, eadem Sacra Congregatio mandavit, de hoc agi cum Sanctissimo, ejusque mentem exquiri.

Eodem anno 1628, die verò 16, Septembris, Auditores Rotæ Coccinus Decanus, Pirovanus, & Merlinus præsentarunt eorum relationem Processuum auctoritate Apostolica fabricatorum super Sancti-

tate vitæ, & miraculis Servæ Dei in Sacra Congregatione, quæ illam admisit, commisitque Processus ejusdem Causæ clar. me. Cardinali S. Clementis, ad effectum procedendi ad ulteriora;

Anno 1629. die 5. Maii Sacra Congregatio, referente præfato Cardinali Sancti Clementis, declaravit, constare de validitate dictorum Processuum, & successivè die 22. Septembris ejusdem anni, proposito Dubio per Cardinalem S. Ceciliæ super virtutibus heroicis dictæ Servæ Dei, respondit, iterum de illis agendum esse in prima.

Anno 1630. die 19. Januarii, quia in antecedenti Congregatione habita pro Causis Beatificationum dilata fuerat discussio articuli circa ætatem Testium necessariam ad probandum in antiquis, referente præfato Cardinali Sanctæ Ceciliæ, Sacra Congregatio censuit, ætatem annorum sexaginta sufficere; Deindèque die 4. Maii ejusdem anni 1630. stante hac resolutione respondit, quoad Causam Ancillæ Dei Joannæ de Cruce *constare de Virtutibus requisitis in ordine ad Canonizationem*. Ab hoc autem tempore usque ad annum 1664. nullum aliud reperitur Decretum in Causa factum.

Anno 1664. die 26. Januarii Cardinalis Gualterius fecit relationem Causæ super omnibus eòusque gestis prò illius reassumptione, & Eminentissimi Patres eam remiserunt ad Præparatoriam; Quæ cum habita fuerit die 29. Maii subsequentis anni, admissa fuit Commissio signanda à Sanctissimo super ejus reassumptione.

Eodem verò Anno 1664. die 10. Junii, audita relatione Cardinalis Gualterii in Congregatione Sacrorum Rituum habita coram Sanctissimo super omnibus hactenùs gestis prò istius Causæ reassumptione, Sanctissimus signavit Commissionem cum Decreto; quod in primis & antè omnia per Congregationem Sacrorum Rituum videretur, ac plenè discuteretur de globulis precariis, vulgò *grani*, & Rosariis, ut asserebatur, benedictis in Cœlo, assertisque eorum Indulgentiis unà cum omnibus indè sequutis, & quid desuper inventum fuisset, referretur Sanctitati Suæ maturè providen., aliàs commissio haberetur prò non signata, nec posset illius vigore procedi ad ulteriora, idque Postulatoribus denunciaretur.

Talitèr autem Commissione signata, die 12. Julii ejusdem anni 1664. deputatus fuit in Relatorem Cardinalis Gualterius, cui deputationi die 20. ejusdem Mensis, habita relatione Cardinalis Ginetti Præfecti in Consistorio, Sanctissimus benignè annuit.

Post hæc tunc temporis Fidei Promotor exposuit Summo Pontifici Alexandro VII. omnia, quæ proposita fuerant in Congregatione habita die 22. Novembris ejusdem anni 1664. occasione relationis Causæ factæ per Cardinalem Gualterium, retulitque mentem ipsius Sac. Congregationis fuisse decretandi in Causa, si Sanctissimo placuerit, ut infrà, videlicèt.

*Assertas Indulgentias, quæ dicuntur concessæ Rosariis, & granis Joannæ de Cruce, declarandas fuisse apocriphas, & prò talibus omninò habendas esse.*

*Non esse admittenda, nec asserenda, & scribenda prò certis, & indubiis illorum delationem in Cælum, ac benedictionem ibi factam à Deo, contactumque manu ejusdem maxima odoris fragrantia divinitùs illis impressa.*

*De assertis tàm granorum originalium, quàm aliorum cum ipsis contactorum virtutibus, & gratiis, nihil statuendum esse, antequam fuerint ple-*

 nè

*nè discussa omnia, & singula; quæ deducentur ad eas comprobandas, necnon actum, ac plenè cognitum de virtutibus theologalibus, & cardinalibus, cæterisque eisdem annexis, perpensaque veritas singulorum, quæ afferuntur prò operationibus, & effectibus miraculosis, seù miraculis eorum medio patratis, cunctaque in Causa necessaria, & opportuna prævia diligenti discussione solidè firmata.*

*Interim verò posse cùm præservativa, sine præjudicio quorumcumque agendorum in Causa, concedi remissoriam prò conficiendo Processu particulari super non cultu, in adimplementum Decretorum felic. record. Urbani VIII. in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis.*

*Necnon in executionem Statuti in libello novissimorum Decretorum* pag. 54. §.Prætereà, *ad ipsam Congregationem deferri, ab eaque ad limites præfati statuti recognosci, & magna cum animadversione diligentèr examinari omnia scripta in duobus libris à Sorore Maria Evangelista: Altero quidem unius suprà 70. Sermones, quos ipsa Joanna protulisse dicitur in Extasi; Altero vitæ, actorumque ipsius Joannæ, quorum, ultrà Dazzam & alios, meminit Wadingus in ejus vita, quæ vita fuit impressa* pagina 23. §. Appropinquante, *versiculo* Et Cœlestis.

Summus verò Pontifex prædictis omnibus auditis, visaque formula supradicti Decreti, die 28. ejusdem Mensis Novembris jussit, illud in actis redigi, observari, & exequi, ac in illius executionem concedi remissoriam prò confectione Processus particularis super non cultu, nec non præassertos libros unà cum eorum exemplis, si adsint, re ipsa ad Urbem deferri, ipsique Congregationi exhiberi, ab eà juxtà formam supradicti Statuti recognoscendos, ac diligenter examinandos; eademque die annuit concessioni Remissorialium prò confectione Processus super non cultu dictæ Servæ Dei, quas dirigi mandavit Episcopo de Timnia Matriti commoranti; Quæ quidem literæ remissoriales cum solitis clausulis apparent expeditæ die 9. Decembris ejusdem anni 1664.

Anno 1665. die 21. Novembris, cùm jam ad Urbem traductus fuisset Processus coram Episcopo Timniensi super non cultu Servæ Dei confectus, decreta fuit ejus aperitio, & annuente Sanctissimo, sub die 28. ejusdem Mensis commissum fuit claræ mem. Cardinali Azzolino Ponenti, ut juxtà formam Decretorum san. mem. Urbani VIII. revideret, examinaret, & referret in Sac. Congregatione librum Sermonum prædictæ Servæ Dei, qui asserebantur scripti à Sorore Maria Evangelista, necnon alterum vitæ ejusdem, qui asservabatur in Archivo Monasterii S. Mariæ de Cruce propè Oppidum de Cubas, in quo Serva Dei vixit, & obiit.

Anno 1666. die 26. Junii proposito Dubio, an sententia Episcopi Timniensis super non cultu Servæ Dei confirmanda esset, Sacra Congregatio respondit *Dilata*.

Anno 1667. die 23. Julii Postulator Causæ supplicavit prò reassumptione Scripturarum, quæ fuerant distributæ dicta die 26. Junii præcedentis anni, & prò confirmatione sententiæ Episcopi Timnien. super non cultu, sed Causa illa die non fuit proposita. Die autem 13. Augusti ejusdem anni facta relatione per Cardinalem Gualterium de consideratis, & animadversis per tunc RR. PP. Exparza, & Bonam Sacræ Congregationis Consultores super recensitis Operibus, quæ prædictæ Servæ Dei attributa fuerant, & quorum revisio iisdem Consultoribus extiterat demandata die 26. Januarii præcedentis an-

anni in discussione Dubii = *An sententia Episcopi Timniensis Judicis Remissorialis lata super paritione Decretis felic, record. Urbani VIII. super non cultu editis confirmanda esset* = Sacra Congregatio censuit procedendum esse ad ulteriora in discussione dicti Dubii, scilicet strictè videndum super dicta paritione = *An constet de non cultu*; = Instantiam verò die decima Septembris ejusdem anni renovante Postulatore prò resolutione ejusdem Dubii, non fuit ea die à Cardinali Gualterio Relatore propositum,

Eodem anno 1667. die 15. Octobris super precibus Petri de Aragonia tunc Neapolis Proregis, per Secretarium Sacræ Congregationis Sanctissimo Pontifici expositis, ut dignaretur concedere, quod in proxima Congregatione habenda coram Sanctitate Sua proponeretur Causa Servæ Dei Joannæ de Cruce super Dubio = *An constet de miraculis* = Sanctitas Sua benignè annuit, censuitque deveniri posse ad discussionem miraculorum; At verò cum Postulator iterùm Sacram Congregationem adierit, & sub die 10. Decembris ejusdem anni supplicaverit prò reassumptione Scripturarum, & resolutione Dubii aliàs propositi = *An dicta sententia lata ab Episcopo Timniensi super paritione Decretis fel. record. Urbani VIII. esset confirmanda, nec nè* = Sac. Congregatio, non obstante dicto Decreto Pontificio, quo concessum fuerat, discuti posse Dubium = *An costet de miraculis* = respondit = *Supersederi*.

Anno 1668. die 21. Julii reproposito per Cardinalem Gualterium sepedicto Dubio = *An sententia Episcopi Timniensis lata super paritione Decretis Urbani VIII. de non cultu confirmanda esset* = Sacra Congregatio censuit, constare de non cultu, & sufficienter paritum fuisse prædictis Decretis, quod à Sanctitate Sua fuit eadem die approbatum.

Anno 1669. die 12. Ianuarii Sacra Congregatio censuit committi posse Archiepiscopo Toletano, & ipso legitimè impedito, Episcopo ab eo deputando, ut visitaret, & describere curaret asertam incorruptibilitatem, & fragrantiam corporis Servæ Dei; Cumque successivè die 27. ejusdem Mensis Sanctissimus annuerit, datæ apparent iisdem diebus 12., & 27. Januarii literæ Sacræ Congregationis directæ clar. mem. Cardinali de Aragonia, quibus concesa ei fuit facultas visitandi, diligenter inspiciendi, ac describendi, Peritosque, ac Testes sibi benevisos super aserta recognitione incorruptionis corporis Servæ Dei, fragantiæ, necnon liquoris, seù olei ex eo emanantis adhibendi, & examinandi, insimulque demandatum, ut acta super hujusmodi recognitione facienda, clausa, suoque Sigillo obsignata ad ipsam Sacram Congregationem transmitteret.

Anno 1671. die 13. Junii, cùm à præfato Archiepiscopo Toletano fuisent jam transmisa acta super dicta recognitione corporis Servæ Dei, facta fuit instantia prò illorum aperitione, sed Sacra Congregatio censuit, quod clausa in Archivio Sacræ Congregationis aservari deberent, si Sanctisimo visum fuerit, prout die 20. ejusdem Mensis Sanctisimus annuit. Eademque instantia reiterata die 18. Julii subsequentis, responsum fuit = *In decisis*, cui paritèr rescripto die 24. ejusdem Mensis Sanctisimus annuit.

Anno 1672. die 3. Septembris denuò supplicatum fuit prò aperitione Procesus confecti per dictum Cardinalem Archiepiscopum Toletanum super recognitione corporis Servæ Dei, & Sacra Congregatio

ad relationem Cardinalis Gualterii Ponentis respondit = *Supersederi.* =

Anno 1673. die 23. Septembris san. me. Clemens Papa X. deputavit in Ponentem hujus Causæ Cardinalem Portocarrerum in locum dicti Cardinalis Gualterii prædefuncti.

Deindè verò post acquiescentiam Causæ à supradicto tempore usque ad annum 1678. dictus Cardinalis Pertocarrerus Archiepiscopus Toletanus, & apud hanc Sanctam Sedem Orator extraordinarius Regis Catholici, nomine etiam D. Ioannis Austriæ primi Ministri ejusdem Majestatis Catholicæ, supplicavit Sanctissimo, ut dignaretur confirmare Decretum editum â Clemente IX. die 15. Octobris 1667. quod procedi posset ad discussionem miraculorum, nec non demandare, quod aperiretur Processus confectus authoritate Apostolica à Cardinali de Aragonia tunc Archiepiscopo Toletano super fragrantia odoris, & super liquore, seù oleo, qui aliàs asserebatur emanasse à corpore Servæ Dei, & Sanctitas sua remisit instantiam prò voto ad Sacram Rituum Congregationem, quæ die 26. Novembris dicti anni 1678. deducta in actis relatione Cardinalis Azzolini, declaravit, quod in Causa non esset amplius procedendum, & fieret diligentia prò recuperatione duorum librorum à Sorore Maria Evangelista scriptorum, unius suprà septuaginta Sermones, quos dicta Serva Dei protulisse dicebatur in Extasi, ac alterius vitæ, actorumque dictæ Servæ Dei, nec non supplicaretur Sanctissimo pro imponendo silentium; factoque de prædictis verbo cum Summo Pontifice per tunc temporis Secretarium, Sanctitas sua die 4. Decembris ejusdem anni 1678. sensum Sacræ Congregationis approbavit.

Anno 1679. die 18. Martii, cùm Postulator instaret prò nova audientia adversùs præmissum Decretum, ejus instantia dicta die non fuit proposita; Die veró prima Maii ejusdem anni Sanctissimus deputavit clar. mem. Cardinalem Facchinettum in hujus Causæ Ponentem in locum Cardinalis de Portocarrero ab Urbe absentis, & subindè cum Postulatores contra rescriptum Sacræ Congregationis editum dicta die 26. Novembris 1678. obtinuissent à Summo Pontifice novam Audientiam, proposito per dictum Cardinalem Facchinettum Ponentem die 17. Junii supradicti anni 1679., discussoque Dubio = *An ex novitèr deductis prævio recessu à dicto rescripto procedendum esset ad discussionem miraculorum* = Sacra Congregatia respondit = *Standum esse in decisis, & agendum cum Sanctissimo prò confirmatione* = proùt die 10. Iulii ejusdem anni Sanctissimus annuit.

Ab hoc tempore usque ad annum 1702. nihil aliud apparet gestum in Causa. Dicto autem anno 1702. Dux de Vzzeda tunc apud Sanctam Sedem Orator Regis Catholici supplicavit San. mem. Clementi XI., ut subrogaret alterum ex Eminentissimis Cardinalibus in locum Cardinalis Facchinetti olim hujus Causæ Ponentis, nec non ut demandare dignaretur processum ad ulteriora in discussione Dubii super miraculis, quæ ab Altissimo per intercessionem Servæ Dei patrata dicebantur; Cumque Summus Pontifex hujusmodi preces remiserit ad Sac. Rituum Congregationem, ista sub die 21. Ianuarii dicti anni 1702. respondit, *ad Secretarium cum Sanctissimo*; Cumque subindè Secretarius relationem fecerit Sanctitati suæ de omnibus iis, quæ in Sacra Congregatione perpensa fuerant, idem Summus Pontifex die 4. Februarii ejusdem anni nedùm renuit, sed respondit *Nihil*.

Tan-

Tandem anno 1713. die 24. Decembris idem San. mem. Clemens XI. ad preces Postulatoris deputavit in Ponentem hujus Causæ clar. mem. Cardinalem Ptolomeum in locum memorati Cardinalis Facchinetti jam pridèm defuncti; & nuperrimè Sanctitas Vestra, nempè sub die 20. Novembris proximè præteriti ad preces novi Postulatoris, ut ab initio præmisi, in locum clar. me. Cardinalis Ptolomei subrogavit Eminentissimum Dominum Cardinalem Gottum.

Hæc est series Decretorum, Actorumque omnium, quæ hactenùs constat emanasse in Causa ex Regestris Congregationis Sacrorum Rituum.

Præstat jam verò exponere rationes, ob quas eidem Causæ, ut suprà retulimus, impositum fuit silentium usque de anno 1678. Eas nimirùm non aliundè patet processisse, quàm ab examine duorum librorum, quorum superiùs facta est mentio, alterius nempè referentis vitam, opera, & miracula Servæ Dei, alterius verò continentis Sermones, quos eamdem Servam Dei protulisse asseritur, cùm rapta esset in extasim; Sacra siquidem Congregatio, & Ven. Innocentius XI., qui ejusdem Sacræ Congregationis sensui adhæsit in decernendo præfatam impositionem silentii, ad id moti fuerunt à pluribus propositionibus, ac narrationibus, quæ leguntur in dictis libris, quæque tamquam erroneæ, variisque censuris obnoxiæ, animadversæ fuerunt à clar. mem. Cardinali Bona, & à Patre Exparza in eorum Votis de mandato Sacræ Congregationis tunc editis; quarum quidem censurarum relevantia, ut à Sanctitate Vestra librari valeat, mei muneris esse puto easdem fideliter recensere.

Exordium itaque sumendo à censura Cardinalis Bona, cui commissa fuerat eorum revisio; Quoad opus inscriptum hispano Sermone = *Libro de la vida, obras, y milagros maravillosos de la Santa Juana de la Cruz &c, segun, y como lo recopilò un devoto Padre de la dicha Orden Confessor suyo &c.* = latino verò = *Liber de vita, operibus, & stupendis miraculis Sanctæ Joannæ à Cruce, quæ fuit Abbatissa Monasterii Dominæ nostræ de Cruce propè Cubas Tertii Ordinis Seraphici Patris, sicut compilatus est à quodam devoto Patre ejusdem Ordinis ipsius Confessario* = præmittit doctissimus Censor, librum hunc sibi videri similem agro evangelico, in quo bonum semen admixta habet zizania, simulque cum tritico infelix lolium, & steriles dominantur avenæ; Quamvis enim aliqua continere videatur, quæ Lectorem ædificare valeant, & ad virtutis studium excitare; pleraque tamen in eo sunt censuræ obnoxia, ex quibus Religiosæ Virginis, cujus gesta narrantur, prætensa Sanctitas offuscetur, atque ejusdem revelationes falsitatis arguantur. Quibus ità præmissis, singula à se animadversa, indicatis libri paginis, brevissimè refert, ut infrà.

Pagin. 5. à tergo lin. 4. antè finem notat, quòd Scriptor ait, omnes existimasse, Servam Dei fuisse sanctificatam in utero Matris. Hæc autem propositio, ut ipse inquit, temeraria est; Docentibus communiter Theologis cum Sancto Thoma *3. par. quæst. 27. art. 6.* præter Hyeremiam, & Joannem Baptistam, de nullo alio credendum esse, quod fuerit in utero sanctificatus.

Pagina 21. narratur, hanc Virginem accessisse aliquandò humilitatis gratia ad confitenda peccata sua prorsùs nudam = *Desnuda como nacio* = quod admodùm turpè fuisse, non videtur ambigendum; Licet enim videri non posset à Confessario, videri tamen poterat à Monialibus, prout

ùt de facto ab una ipsarum visa fuit, priusquàm resumeret vestimenta ; Præterquam quod debuisset Serva Dei revereri se ipsam, dicente Etnico, Mulierem cum tunica pudorem exvere, ideòque licèt excusari posset ob nimiam simplicitatem, putat tamen laudatus Censor, hanc suggestionem à proprio, vel à malo Spiritu fuisse, non à divino, quia instinctus Dei nonnisi ad ea, quæ pudica, & honesta sunt, excitat.

Pagina 51, & 52. refertur vana curiositas Monalium optantium scire, quo nomine vocaretur Angelus ipsius Servæ Dei tutelaris, qui ei sæpissimè apparebat: Nolente autem Angelo id indicare Servę Dei eum pluriès interroganti de hac re, tandèm Serva Dei hoc idem petiit instanter à B. Virgine, quę morem ei gerens jussit Gabrieli, ut statim illum ad se accerseret: Gabriel autem obediens vocavit eum dicens: *Domine Sancte Larvel accede, nam vocat te Domina Regina nostra.* Quo audito Serva Dei didicit nomen Angeli sui, & Monialibus indicavit: Hanc autem pulchram esse fabellam ait Cardinalis Bona, tùm quia nefas est credere, Beatissimam Virginem satisfacere voluisse vanę Religiosarum curiositati, tum quia novum hoc Angeli nomen à sensu Ecclesię alienum est, cum Zaccharias Papa in Concilio Romano habito aduersùs Adalbertum anno 745. damnauerit omnia Angelorum nomina pręter illa Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, quę à Sacra Scriptura approbantur.

Prętereà generaliter obseruat accuratissimus Censor, uisiones omnes, & apparitiones in hoc libro recensitas, imaginarias esse, quę utplurimum oriuntur ex atra bili, & ex vehementi apprehensione, ideòque subjectas illusionibus malorum spirituum, quin & in iis nullum reperiri boni spiritus indicium, sed potiùs omnia mali, vel proprii instinctus signa, nimirùm complacentiam in iisdem revelationibus, nimiam facilitatem in illis evulgandis, vanitatem, & curiositatem, defectum soliditatis, & veritatis: Nihil in eis, quod Dei gloriam, hominumque salutem permoveat, nihil quod sanctos affectus in animis Legentium imprimat: Multa à placitis Theologorum, & à sensu Ecclesiæ aliena, multa Sacris Scripturis dissona, vel contraria, multa inepta. Puerilia, chimerica, ut sunt ea, quæ referuntur pagin. 35. de vestimentis Angelorum, & pagin. 54. de armis, & vexillis Sanctorum in Cœlis; Utque aliqua magis speciatim recenseat, sequentia notat.

Pagina 79. narratur, Servam Dei vidisse, Deo revelante, quemdam Heremitam, cui Diabolus sub specie Christi apparuit, cumque ille deceptus eum adoraret, interim SS. Angeli ingenti numero descenderunt armati in Purgatorium, ut præliarentur adversùs dæmones, & indè animas eriperent. Territi autem Dæmones, in Desertum properarunt ad Diabolum ipsorum Principem, qui præfatum Heremitam tentabat, ipsumque objurgarunt, quod relicta statione sua prædæ Angelorum Purgatorium exposuisset. Censura autem ea est, quod animæ non bellica Angelorum vi eruuntur à Purgatorio, sed cum sufficientèr purgatæ sunt.

Pagina 54. à ter., & 55. habetur, Christum vocasse Servam Dei aliquando integro nomine = *Joannam*, aliquandò diminuto = *Joanninam* = Notat autem Cardinalis Bona, ibidem non referri Dominum explicasse Servæ Dei utriusque nomenclaturæ differentiam prorsùs ridiculam, & non à Christo traditam, sed à propria imaginatione confictam.

Eadem pag. 55. dicitur in persona Domini, audientibus Missam concessas esse plurimas Indulgentias, quas nemo dinumerare potest: Ibidemque notat Censor, introduci ipsum Dominum insulsa quædam, docentem de ornamentis Templorum, & vestibus Sacerdotalibus.

Pagina 56. à ter. refertur, magnam adesse multitudinem Angelorum, ingenti strepitu tubis personantium, quando in Missa legitur Evangelium. Inquit autem Censor eximius, mirum esse, quod nemo hactenus concentum istum audiverit, solique Ancillæ Dei tributa fuerit auris pittagorica cœlestem percipiens harmoniam.

Pagina 60. narratur, Servam Dei aliquando audivisse aviculas mirabilia quædam mutuè loquentes, & gratias Deo de perceptis beneficiis agentes; undè ait Censor, tribui huic Mulieri id, quod de Apollonio Tyaneo scribit Philostratus in ejus vita, ac indè fomentum accipere pravam opinionem Plutarchi, & Celsi Epicurei dicentium, brutis animantibus inesse rationem.

Pagina 62. habetur, Servam Dei narrasse, se percepisse Stigmata Christi, ejusque passionibus communicasse, ipso Christo manus suas manibus ejus, pedes pedibus, corpus corpori copulante. Et pagin. 66. dicitur ex ipsius relatione, eam Angelos vidisse, qui Moniales amplexabantur, & osculabantur; Hæc autem indecora videntur Censori, & carnem sapere.

Pagina 71. notat idem Censor, describi Purgatorium instar Civitatis modo prorsùs improprio, ibique animas torqueri, contrà communem Theologorum sententiam, qui hoc negant cum Div. Thoma 4. *Sententiarum dist.* 21.

Pagina 76. dicitur, Servam Dei narrasse delatam sibi ab Angelis Sanctam Eucharistiam, quam tulerant ex ore cujusdam viri reprobi, qui eam moriturus acceperat, involutam foliis terrestris Paradisi, qua ipsa se propriis manibus communicavit. Hæc autem à Spiritu bono non esse, inquit Censor, quæ à communi Ecclesiæ usu abhorrent.

Pagin. 81. habetur, Servam Dei docuisse, omnes Christianos teneri in conscientia jejunare in pane, & aqua in vigilia Nativitatis Domini, idque sibi ab Angelis revelatum fuisse; Quod pariter à sensu Ecclesiæ alienum esse notat Cardinalis Bona.

A pagina 87. ad 94. toto scilicet capite 10. ait idem Censor, multa referri Sacris Scripturis, & solidæ Theologiæ contraria, nempè judicium Animarum fieri coram Sancto Michaele, qui tamquam Judex sententiam profert: Judicium in Cœlo fieri, & flagellari Animas à Sanctis Angelis; Quosdam Angelos damnatis Animabus maledicere: Tùm eosdem Angelos assumere vestimenta lugubria, cùm damnantur Animæ, & deponere, cùm laudaturi sunt Deum, multasque alias refert ibidem reperiri ineptias, atque figmenta, brevitatis gratia speciatim non recensita.

Pagina 103. & seqq. describitur Cœlum empyreum, & in eo describuntur Monasteria utriusque sexus, Ecclesiæ, & Altaria: Qua in re, inquit Censor, plùs vidisse Servam Dei, quàm Joannem Evangelistam, qui in Apocalypsi *Cap.* 21. eamdem Beatam Patriam describens, ait = *Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est* = Prætereà notat, hanc Virginem vidisse Templa, & Altaria, quibus asserit à Deo concessas admirabiles Indulgentias, ac si Beati in statu merendi essent, & Indulgentiis indigerent, ibique etiam

testari, se vidisse devotissimas imagines, & figuras, Cantores audivisse, & Sacerdotes, aliosque Ministros Officia divina, & Missas decantantes, quæ omnia viæ sunt, & non patriæ; Ibidem quoque fingi Hospitalia, in quibus Angeli animas ereptas è Purgatorio curant à vulneribus à Dæmonibus inflictis, easque instruunt, quo ritu, quibusve cæremoniis uti debeant cum Deo, & Coelestibus; Rursusque ibidem fingi ingentem campum, & arborem Crucis, ac sub ea diversa epularum genera, aliaque hujusmodi deliramenta multa adeò absurda, ut parùm distent à Paradiso, quem suis Asseclis impius Mahometus in Alcorano pollicetur.

Pagin. 112. habetur, Servam Dei vocasse Spiritum Sanctum Dei Eleemosinarium; Et pagin. 114. descripsisse fructus singulis diebus hebdomadæ ab arbore Crucis emanantes in Coelo, quos Animabus in Purgatorio degentibus Angeli deferunt, ut ex iis recreentur: Et pagin. 128. recensentur mutua verborum officia, quibus se in Coelo salutarunt Sancti Patres Dominicus, & Franciscus; Tùm paginis 145., 146., 148., 154., 155., 184., & 185. sæpiùs introducuntur Beata Virgo, & Angelus, qui Servam Dei laudant, & à defectibus excusant; Quod ait Censor, maximam ei notam vanitatis, & superbiæ inurere.

His omnibus addit Cardinalis Bona, totum ferè librum transcribendum fore, si omnia recenseri vellent, quæ censuram merentur; Non posse tamen præterire lepidissimam fabulam, cui similem Talmudistæ quidam harum mercium admirabiles Propolæ adinvenerunt. Scilicet pag. 165., & seqq. habetur, quod cùm invasisset aliquando Servam Dei ob crebras Infirmitates insolitum frigus, ea rogavit Sorores, ut sibi opem ferrent lapide aliquo calefacto, quo posset frigus expellere; At illæ è porta cellævinariæ extractum silicem, atque in ignem conjectum, & calefactum ei decumbenti porrexerunt, statimque Serva Dei audivit ab eo lapide gemitus miserabiles, & ejulatus, quia nimirùm super illo cubabat quædam Anima Purgatorii, quæ prunis illis ardentibus combusta fuerat, & ideò flebat. Veniam petiit ab ea Joanna, dixitque ipsa Anima, quod eum silicem, cui alligata erat, homines peccatores è Fluvio extractum in domum illam portaverant, eoque usi fuerant in ædificanda janua cellævinariæ. Cùm igitur didicisset, etiam in lapidibus purgari Animas, multos colligi, ex Fluminibus extrahi, & ad se afferri jussit, factaque est cella ejus hospitium Animarum, quarum necessitatibus succurrebat; Poenis autem ipsarum compatiens, Deum rogavit, ut eas dignaretur à silicibus eripere, atque in floribus, & herbis, quarum fasciculos, & ramusculos ea de causa jam præparaverat, collocare; Et exaudita est depræcatio ejus magno animarum commodo, quæ in floribus, & herbis molliùs cubabant, quàm in saxis, cùm præsertim nonnullæ ex illis per tercentos annos, aliæ per quingentos tam durum Purgatorium substinuissent. Paulò post apparuit Servæ Dei S. Franciscus, uti narratur pagin. 167., & 168., posuitque in lecto ejus triginta, & sex ova, in quibus erant Animæ, quæ dum in corpore degerent, eumdem Sanctum Franciscum speciali devotione coluerant, ut nimirùm ea foveret charitatis suæ calore, ac indè animas quasi pullos educeret, & excluderet. Quas quidem ineptias, ut ait idem Censor, simplicitèr proposuisse, confutare est; cùm temeraria sint hujusmodi de Purgatorio, ejusque duratione figmen-

figmenta; Quemadmodum etiam erroneum, & à Fide alienum asserit, quod habetur pag. 112, Animas nimirum, postquam ab Angelis ad Cœlum empyreum perductæ sunt, interdùm ibidem remanere, & aliquando ad Purgatorium redire.

Ex quibus itaque, rem perstringendo, constare ait, nullam fidem hisce scripturis adhibendam esse, nec ullum ex iis Sanctitatis indicium erui posse, quin veriùs deliramenta delusæ imaginationis existere, quæ inexcusabili errore, tamquàm divinæ revelationes, Sanctorum, & Angelorum effata proponuntur. Et hoc est judicium, quod de libro inscripto = *de vita, operibus, & stupendis miraculis S. Joannæ de Cruce*, protulit Cardinalis Bona.

Quo verò ad alterum librum Sermonum, quem ingentem Tomum vocat idem accuratissimus Censor, continentem Sermones ejusdem Servę Dei, quos, ut in prima pagina scriptum est, loquebatur Spiritus Sanctus per os ejus, cum in extasim rapta esset, quosque Moniales ex ore ipsius excerptos scriptis consignarunt, firmitèr profitetur, se de iisdem Sermonibus idem sentire, ac de vita, quia nihil in eis solidum, & supernaturale, sed multa loquacitas, plures ineptiæ, & chimericæ narrationes, multa muliercularum deliramenta, concludendo tandem per hęc verba =*Quare si certò constaret, ab ipsa Joanna tàm hos sermones, quàm ea, que suprà ex ejus vita notavi, quolibet modo processisse, perpetuum silentium Causæ ipsius Canonizationis imponendum fore, sed quia fieri potuit, ut ipsa inscia hæc omnia à Confessario, sivè à Monialibus fingerentur, ut de pietate quæstum facerent, crederem, suspendendum esse judicium, & quia desunt Hominum testimonia ad comprobandam facti veritatem, posset procedi in Causæ discussione, nulla prò nunc ratione habita horum scriptorum, donec deveniatur ad propositionem miraculorum; Si enim miracula aderunt verè, & legitimè probata, jam non hominum, sed Dei infallibile testimonium habebimus; impossibile siquidem est, quod Deus falsam Sanctitatem miraculis approbet.*

Transeo nunc ad cesuram Patris Exparza Societatis Jesu, cui traditi fuerunt ad revidendum, ut ipse ait, tres Codices Servæ Dei Joannæ de Cruce, scripti sub prætextu, & nomine divinarum revelationum. Incipit autem ejus Censuram dicendo, quod visa parte dictorum trium Codicum, cùm nihil in iis, quæ legit, occurreret sapiens supernaturalitatem, aut aliquam præseferens verisimilitudinem divinæ inspirationis, ac revelationis, quinimò quamplura passim deprehenderit valde dissona, & quę muliebrem incapacitatem, ac inanitatam ad phantasiæ ludibria pronam, & Spiritus Sancti directione, ac illustratione penitùs destitutam manifestè proderent, censuit supersedendum sibi esse ab ulteriori lectione usque ad novum mandatum, nè improbo labore inanem temporis jacturam faceret; Intereà verò prò specimine reliquorum sequentia animadversione digna proposuit.

In Codice maculis aureis exteriùs notato, qui incipit à *Cap. 58. in pag. 2. à ter. column. 1. initio*, occasione cujusdam Processionis, quæ describitur in Paradiso, legitur = *Inter quamplures Ordines Religiosorum, & Beatorum Sanctorum, suum (nempè Franciscanorum) fuisse, qui præcæteris, & clarior procedebat, & illustrior.*

Ibidem antè medium columnę subjungitur revelatio = *Quod quidam salutem æternam consequuntur proptèr devotionem, quam habent erga habitum (nempè Ordinis Divi Francisci) quatenus idem habitus est figura, & si-*

*& similitudo Crucis Domini Nostri Jesu Christi* =& paulo post= *quod alii salvantur, quia habent devotionem, ut sepeliantur, & moriantur in hoc habitu* =& mox= *quod alii salventur, quia ergà ipsum S. Franciscum devotionem gerunt majorem, quàm ergà ullum alium Sanctum, qui sit in Cœlo.*

Pagin. 4. à ter. column. 2., & pag. 5. dicitur = *quotannis in die S. Francisci educi è Purgatorio Animas suorum Religiosorum* = Pagin. 8. decribitur expeditio Angelorum cum Archangelo Michaele ad Purgatorium; & concluditur = *eductas fuisse ea vice omnes Animas è Purgatorio* = Ibidem col. prima in fine dicitur =*Animas per Angelos eductas è Purgatorio, ab iisdem Angelis curari deindè à plagis, atque mundari à sordibus in prato quodam, atque vestiri* = Idemque repetitur pag. 9. col. 2. in fine.

Pag. 11. à ter. = *Detruduntur ad Inferos Prelati, & subditi Conventus numerosi indiscriminatim omnes* = Pagin 13. column. prima fit sermo de Sacramentis Ecclesiæ, & affirmatur inter alia *descensus Sacramentorum ab una ad aliam Cœli partem* = Pagin. 19., & seqq., ea quæ dicuntur in Evangelio eventura sub finem mundi, applicantur singulis quibuscumque hominibus, quatenus moribundis, ac morituris, intelligendo = *per Solem animam, corpus per lunam, per Stellas corporis partes, viventes delitiosè per prægnantes; & mortem per parturitionem.*

Pagin. 99. column. prima *liber iste vocatur pretiosus*: Ibidem à ter. col. prima initio, fit comparatio mulierum isthæc scribentium cum Sanctis Evangelistis, eædemque iisdem equiparantur quoad substantiam, & certitudinem canonicæ scripture.

Pag. 100. à ter., & tota pag. 101. habetur propositio premiorum facta Beatis in Cœlo, *de Corrigia, de parte Cinguli*, & similium, & vestitu Christi Dñi, obtinendorum ab iis, qui velociùs corporaliter cucurrissent.

Pagin. 101. column. 2. in fin. Proposita visione Sanctorum prout existentium in Cœlo, instituitur sermo de duobus Sanctis, & majori etiam odio habitis in Cœlo, & in Terra; additur, eos esse Adamum, & Hevam, eosdemq; innexis invicem manibus precucurrisse ceteris omnibus Sanctis, & predicta premia, seù reliquias, ut ibi vocantur, evicisse, atque obtinuisse.

Pagin. 102. column. prima initio narratur, Heve dicenti ad Adamum, ut acciperet reliquias ipsis à Deo destinatas, respondisse Adamum, ne talia sibi diceret; Nil enim se illi credere velle, ex quo semel ab ipsa deceptus fuerat. Pagin. 102. colum. prima sub finem habetur, Christum Dominum dixisse Adamo, & Heve = *se propter reliquos ad Terram, sed propter ipsos ad inferos descendisse.*

Pagin. 104. column. 2. ad medium, introducitur B. Virgo loquens cum Christo Domino, & dicens, se letatam valdè fuisse, quando in Ægypto rescivit Herodis mortem, quià tunc credidit revocatam fuisse sententiam à Patre Æterno latam, & sibi inde à nativitate Filii sui manifestatam de passione ipsius, & Cruce.

Pag. 105. col. 2. Proponitur revelatio, quod Deus velit laudari se, & magnificari ab omnibus, preter quàm à B. V., eo quod ipsa sit partiaria Dei.

In alio autem Codice cooperto pergameno magnis Caracteribus exarato, & incipiente à Capite 21., notat Pater Exparza pag. 59. columna prima, quod sententia negativa Immaculate conceptionis vocatur ore Domini *magnus error*; Ibidemque col. 2. Defensores illius sententie vocantur pariter ore Dei *Traditores, & infelices*; Quodque pag. 61. col. prima initio dicitur = *Obedientia humiliavit usque adeò Deum, ut coegerit ipsum fieri hominem* = Quod quidem, ait dictus Pater Exparza,

in

in rigore est heresis; & sine rigore est stultitia.

Quibus ità speciatim prenotatis addit in fine veluti per Animadversionem universalem circa istos libros laudatus Pater Exparza, quidquid, & quomodolibet in istiusmodi Codicibus dicatur, non posse multum suffragari, aut derogare estimationi, ac judicio probitatis, seù Sanctitatis, qua alioquin emineret Serva Dei Joanna de Cruce. Constat enim ex iisdem Codicibus, & maximè ex pag. illa 99. ab eodem Patre Exparza superius preindicata, istam Servam Dei per se ipsam nihil horum scripsisse, aut dictasse, sed alias quasdam Moniales auscultantes Servam Dei, quando colloquebatur cum Deo, scripsisse deindè, que audierant, quatenus eorum meminisse potuere, easdemque iisdem à se auditis proprio marte attribuisse nomen, & gradum divinarum revelationum, nullo facto discrimine, aut non idoneè facto intèr alias, & alias res, & loquutiones, metaphoras, tropologias, qua profectò in re facilè obrepere potuit multiplex enormis deceptio absque ulla vel culpa voluntaria, vel involuntaria deceptione Serve Dei Joanne, atque preter intentionem, & mentem ipsius, ut ex iis scriptis juxtà judicium, & placitum predictarum Fœminarum, nullum planè judicium fieri possit, aut etiam concipi suspicio satis fundata de qualitate communicationis Serve Dei cum ipso Domino, & multò minus de vera ejusdem probitate, & Sanctitate, aut de defectu utriusque; Proindeque concludit, ea que ad hoc punctum spectant, perinde considerari, expendi, atque examinari posse, ac si tales libri nunquam scripti fuissent.

Hec igitur à gravissimis Censoribus in examine prefatorum librorum animadversa effecerunt, ut Sacra Rituum Congregatio satiùs censuerit, Cause silentium imponendum fore; Et licèt successive Pater Joseph Copons tunc Procurator Generalis in Curia Romana Ordinis Minorum Sancti Francisci in valdè elaborata, doctaquè scriptura libros predictos à recensitis censuris vindicare studuerit, autumans nimirùm ex multigenis propositionibus, sivè narrationibus per Censores notatis, alias fuisse minùs fideliter ab originalibus libris traductas, aut excerptas; alias juxtà legitimum proferentis sensum non intellectas: alias demùm nullo errore infectas, si ad misticam locutionem, ut ex toto contextu ad eamdem facile accomodari posse summa cum eruditione contendit, referantur; attamen obtinere non valuit, ut demandata silentii impositio removeretur, quin potiùs eadem Sacra Congregatio perpendendo fortasse materiam valdè gravem reddi tùm à qualitate, & multiplicitate oppositionum, cum ab ipsamet prolixitate responsionum, quas in sua scriptura d. Pater Copons adduxit, quemadmodùm Archiepiscopus Myrensis tùnc Fidei Promotor in suis Animadversionibus opportunè monuerat, non hæsitavit Decretum jam prius editum super impositione silentii die 17. Junii 1679. confirmare, rescribendo = *standum esse in decisis*, ut resultat à serie Decretorum desuper indicata.

Et reverà quod laudatæ responsiones graviorem potiùs efficiant materiam, quàm difficultates evincant, admitti quoque videtur ab ipsomet moderno Causæ Postulatore, qui in supplici Libello Sanctitati Vestræ porrecto prò remotione silentii, nullum adhibet studium in excludenda earumdem difficultatum relevantia, sed solùm sustinere conatur, præfatos libros neque scriptos, neque dictatos fuisse à Serva Dei, proptereaque prosequutioni Causæ officere non posse Decreta Urbani Octavi, & signantèr Decretum generale *pag.* 54. §. *Præterea*, quippè quià ab

iis

iis prohibeatur tantùm ulterior processus in Causis Beatificationum, & Canonizationum Servorum Dei, quandò clare constiterit, quod libri erronea continentes ab ipsismet Servis Dei conscripti, vel dictati fuerint.

Respectu tamen hujus assumpti necesse est, ut Sanctitati Vestræ innotescat, jam illud fuisse deductum in ea Causæ propositione, in qua Sac. Rituum Congregatio, ut superiùs retuli, stetit in Decisis; Idque resultat ab Animadversionibus bon. mem. Archiepiscopi Myrensis in ea propositione distributis, in quibus dignissimus tunc ille Fidei Promotor plura deduxit ad probandum, dictorum librorum editionem tribuendam omninò esse eidem Servæ Dei. Quocircà prò mei muneris implemento opportunum arbitror, ea priùs exponere, quæ in comprobationem præfati assumpti modernus Postulator exposuit in præfato suo supplici Libello, deindeque ea referre, quæ in ejusdem assumpti exclusionem laudatus Archiepiscopus Myrensis jàmpridem in suis Animadversionibus ponderaverat.

Quoad librum vitæ, tria Postulator adducit argumenta, ex quibus autumat, erui posse, quod idem liber neque conscriptus, neque dictatus fuerit à Serva Dei.

Primùm scilicèt desumptum est à titulo ipsius Libri declarante, illum compilatum fuisse à quodam Religioso ejusdem Ordinis S. Francisci, qui se expressit devotum, & Confessarium Servæ Dei; Ex hac enim declaratione Postulator infert, librum editum fuisse à dicto Religioso, inscia penitùs Serva Dei, omniaque conscripta intuitu devotionis ergà eamdem Ancillam Dei ab eo, qui supponit, se fuisse ejus Confessarium.

Secundum argumentum deducit à titulo *Sanctæ*, *& Beatæ*, quo Serva Dei nedum in Proemio, sed in toto Operis contextu sæpè sępius denominatur; Quod nimis abhorret à quacumque verisimilitudine, nedùm à profunda ipsius Ancillæ Dei humilitate, ut librum scribendo, vel dictando, titulum Sanctæ, & Beatæ sibi tribuere voluerit.

Tertium tandem depromit, ex quo in eodem libro recensentur transitus dictæ Servæ Dei, & nedum mirabilia, quæ ab eadem in vita gesta dicuntur, sed etiam sequuta post mortem, quæ planè nequeunt affirmari ab ea scripta, vel dictata.

Quoad librum Sermonum Postulator ait, ex toto illius contextu erui posse, ejusdem compilationem Servam Dei penitùs latuisse; Pluriès enim in hoc libro expressum legitur, quod cùm Serva Dei à sensibus alienata, communicatione Altissimi frueretur, nonnullæ ex Monialibus attente auscultabant singula verba, quæ ex impulsu Divini Spiritus in eo statu proferebat, illaque in scriptis redigebant eo meliori modo, quo reminisci poterant, undè non modicum volumen evasit multis aliqualitèr erroneis expressionibus facilè refertum.

E contrà verò præfatus Archiepiscopus Myrensis, ut in suis Animadversionibus ostenderet, dd. Libros compositos fuisse ex iis, quæ ipsamet Serva Dei dictaverit, allegavit Dazzam, qui cùm texeret historiam Vitæ ejusdem Servæ Dei, in illius Prologo asseruit, prò eadem componenda inter alias scripturas adhibuisse alterum ex recensitis libris, illum scilicèt vitæ, eumque affirmavit dictatum fuisse à Serva Dei de ordine Angeli ejus Custodis, nec non conscriptum à quadam Moniali nuncupata Sorore Maria Evangelista, quæ priùs scribere nesciens, miraculosè ad id peragendum, nec non ad conscribendum alium librum

Ser-

Sermonum, quos Ancilla Dei concionabatur, evasit idonea.

Ultrà Dazzam allegavit quoque Wadingum, qui in *Annal. Minor. tom.8. col.586. num.61.* hæc ait = *Appropinquante jam tempore, quo Joannæ tot pressuris, & tonsionibus expositæ, & in vivum lapidem cælestis ædificii dotatæ ex hoc seculo erat migrandum, apparuit Angelus, & dixit Deo placuisse, ut ad majorem sui gloriam, suorumque ædificationem, & instructionem innotescerent, quæ illi contulit beneficia, tùm spiritualium consolationum, & revelationum, tùm corporalium afflictionum, & dolorum, quæ beneficii etiam loco reponenda erant, & proindè omnia distinctè exararet. Illa quanta potuit animi demissione se protinùs ab hujusmodi donis sibi secretò commissis palàm referendis excusavit; At Cœlestis Monitor æquis rationibus, imperio, & comminatione tandem induxit, ut faceret, scribamque dedit, quam diximus, Mariam Evangelistam, quę scribere nesciebat, ut ampliùs constaret, pręceptum hoc à Deo emanasse. Illa porrò scripsit duos illos libros, quos supra memoravimus, Sermonum, & Vitę, Actorumque Joannæ, adeò disertè, & discretè, ut supra humanum excellentius habuisse auditorium colligatur.*

Deindè recensendo rationes tunc temporis à Postulatoribus deductas ad probandum, quod præfati libri non fuerint à Serva Dei conscripti, neque dictati, quę in substantia coincidunt cum illis à moderno Postulatore allegatis, ponderando monuit, quod quidquid sit, an totus uterque liber dictatus fuerit ab ipsamet Serva Dei, adeout subjaceat rigorositati Decreti *pag.* 54. §. *Prętereà* obstantis prosequutioni Causę, quod forsan mereretur aliquam majorem indaginem, inevitabile tamen videatur, quod libri illi includant propositiones, ac enarrationes ab eadem Serva Dei expositas, quæ cùm pluribus erroribus scatere dignoscantur, fulgorem Virtutum ejusdem Servæ Dei saltem in gradu heroico absque dubio obumbrent. Ob quas Animadversiones ab Archiepiscopo Myrensi tunc temporis factas, non attentis responsionibus deductis in scriptura cl.me. Cardinalis Caccia, tunc Sac.Consistorialis Aulæ Advocati, Sac. Rituum Congregatio die 17. Junii *1679.*, ut superiùs memini, rescripsit = *standum esse in decisis* = die 10. Julii ejusdem anni Ven. Innocentius XI. rescriptum istud approbavit.

Hæc ea sunt, Beatissime Pater, ad Causam facientia, quæ ex authenticis documentis sedulò perlustratis, ea, qua potui, celeritate collegi, quæque, non egrediendo fines simplicis Relatoris, juxtà munus mihi demandatum, purgatissimis Sanctitatis Vestræ oculis humillimè subjicio.

Dicta autem sint sub censura &c. salvo semper &c.

# Carolus Albertus Archiep. Philippensis Fidei Promotor.

# TOLETANA

## *Beatificationis, & Canonizationis*

## VENER. SERVÆ DEI

# JOANNÆ DE CRUCE

## *Monialis Professæ, & Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Cruce propè Oppidum de Cubas, Tertii Ordinis S. Francisci*

## Restrictus Facti, & Juris

### SUPER DUBIO

*An stante non reperitione assertorum opusculorum originalium, possit ad ulteriora in Causa procedi.*

## Eme, & Rme Domine.



1 Enerabilis Serva Dei Joanna de Cruce Monialis professa, & Abbatissa Monasterii S. Mariæ de Cruce propè Oppidum de Cubas Tertii Ordinis S. Francisci Toletanæ Diœcesis, postquam de anno 1534. die 3. Maii Inventioni Sanctissimę Crucis dicata, eâdem ipsâ die, quà in lucem venerat, quàque sacram professionem in Monasterio emiserat, cursum quoque vitę consumavit: sicuti autem celeberrima ejus sanctitatis fama, dum vixit, impulit ad ipsam visitandam Pręlatos primarios, Principes, regias Personas, & semèl Imperatorem ipsum Carolum V., ità ad cœlestes nuptias à divino Sponso evocata, omnes Hispaniarum Populos, & remotiores quoque Regiones traxit ad ipsi pręstandum eundem, qui non nisi Sancto Ecclesię authoritate declarato pręstari solet, cul-

 tum,

tum, ejus quippe corpus fuit reconditum in sepulcro honorifico suprà solum elevato; Continuò circa illud pretiosę lampades, votivę tabellę in gratiarum acceptarum contestationem appensę; pretiosaque munera Fidelium, Magnatum, & populorum causâ venerandi corpus Ancillę Dei, ejusque patrocinium implorandi, undequaque confluentium, visa sunt, ac perseveranti quoque, & unanimi applausu in universa Ecclesia ab Europa usque ad occidentales, & orientales Indos *Sanctæ*, vel *Beatæ* nomine conclamata fuit, ut habetur ex relatione Rotali *Summario num.* 1. Qui quidèm cultus semper magis increbuit per centum triginta annorum spatium, solùmque de anno 1664. dimissus extitit, laico Postulatore tunc temporis falsò authumante, quod nisi ille removeretur, obstare posset prosequutioni Causę ob superventa decreta sa. me. Urbani VIII.

2 Intereà de anno 1619. dùm hujusmodi cultus ergà Servam Dei semper magis invalescebat, in pluribus locis Toletanæ Provinciæ fuerunt constructi Processus de ipsius vità, & miraculis, quibus ad Urbem transportatis, traditisque tribus senioribus Auditoribus Sacræ Rotę, nempe Coccino, Pirovano, & Merlino, factâque per hos relatione eorundem Sac. Congregationi, & per hanc in pluribus sessionibus Causa diligenter examinata, postquàm de anno 1629. resolutum fuit = *Constare de validitate processus* = tandem subsequenti anno 1630. die 4. Maii prodiit etiam Decretum = *Constare de virtutibus requisitis in ordine ad Canonizationem* = & postquàm ob notas calamitates superventas diù causa siluit, deinde S. M. Clemens IX., utpote qui optimè noverat, quanta erat fama sanctitatis Ancillæ Dei, propriisque oculis viderat maximum Fidelium concursum ad ejus sepulcrum, quod & ipsemet proprio devotionis affectu, tempore quo Apostolici Nuncii munere in Hyspania fungebabur, visitaverat, veneraturus ejus corpus incorruptum, & suavem exhalans odorem, & tunc temporis nondùm cultus possessione privatum, ad preces D. Joannis de Austria, & D. Petri de Aragonia decretum edidit sub die 15. Octobris 1667., quo *Sanctitas sua benignè annuit, & censuit deveniri posse ad discussionem miraculorum*, à cujus decreti executione licet supersederi mandasset Sac. Congregatio, nondùm deciso dubio super non cultu, & paritione decretorum Urbani VIII. post verò istius resolutionem non dubitavit sub die 12. Januarii 1669. in ejusdem Decreti sequelam concedere per aliud Decretum cum Summi Pontificis oraculo remissoriales literas directas Cardinali de Aragonia tunc Archiepiscopo Toletano, ut procederet ad visitationem, & recognitionem corporis Famulę Dei, & cum interventu Peritorum describeret statum, in quo reperiebatur, & odorem, quem exhalabat.

3 Dùm hęc agebantur, quià venit in notitiam, quod *Daza*, *Wadingus*, *Navarrus*, *& alii* asserebant, Mariam Evangelistam Monialem degentem in eodem Monasterio cum Serva Dei Joanna duos conscripsisse libros, *alterum de vita Servæ Dei* ab ipsamet dictatum ex mandato, ut fertur, sui Angeli Custodis *Alterum Sermonum*, quos eadem Serva Dei in raptibus, ut ajunt, prædicabat, & præfata Maria Evangelista ad utilitatem communem posteà inscripserat: Hinc Sac. Congregatio in adimplementum Decretorum S. M. Urbani VIII., præcepit, ut præfati omnes asportarentur ad Urbem libri, quos mox laudati Authores asserebant repositos fuisse in Archivio

præ-

prædicti Monasterii ad conservandum. Pro quo effectu expeditæ fuerunt literę directę ad Episcopum Timniensem tunc Matriti commorantem, cui Sac. Congregatio cum oraculo SSmi edito die 28. Novembris, & respectivè 9. Decembris 1664., commisit, ut nedum construeret dictum Processum super non cultu, sed simùl etiam omni possibili diligentia curaret reperire dd. libros, eosque ad Urbem transmitteret; quarum literarum vigore ille ad Monasterium se contulit, statimque PP. Provinciæ Castellæ Ordinis S. Francisci, & Sanctimoniales præfati Monasterii consignarunt libros omnes, quos in præfato Archivio asservatos habebant, idque cum debito sub fulminatis Censuris juramento, & cum sincera insuper affirmatione, ac protestatione Abbatissæ dicti Monasterii asseverantis, se per totum decursum suæ mansionis in eodem Monasterio, nec vidisse, imò nec audivisse, alios similes ibidem unquàm extitisse libros, præter tunc consignatos, *Sum. num.2:*

4 Transmissis autem ad Sac. Congregationem per memoratum Episcopum præfatis libris in dicto Monasterio repertis, eadem Sac. Congregatio statim eorundem revisionem commisit clar. mem. Card. Bonæ, & P. Martino Exparza Soc. Jesu tunc Sac. Congregationis Consultoribus, & licèt nondùm edita ipsorum relatione Sac. Congregatio suspenderit propositionem dubii super non cultu, necnon exequutionem Decreti S. M. Clem. IX. demandantis processum ad ulteriora in discussione miraculorum, tamen revisione edita, non dubitavit sub die 10. Januarii 1668. discutere dubium super non cultu, & rescribere = *CONSTARE DE NON CULTU &c.*, necnon sub die 12. Januarii 1669. in executionem d. Decreti S. M. Clem. IX. concedere literas remissoriales prò recognoscenda, ac describenda miraculosa incorruptione corporis Servæ Dei. Quo tamen Processu ad Urbem delato, factàque instantia pro illius aperitione, sub die 13. Junii, & 18. Julii 1671. Sac. Cong. demandavit, ut ille clausus, & sigillatus reponeretur in Archivio, & deinde sub die 3. Septembris 1672. ad similes reiteratas preces respondit *supersederi*, successivè de ann. 1674., & 1679. perpetuum silentium Causæ imposuit, ut fusius liquet ex relatione Rmi Fidei Promotoris pro veritate exarata super statu Causę, *quæ exhibetur in principio Positionis.*

5 Hujus autem perpetui silentii impositioni unicè causam præbuit manifestum æquivocum, nempè quod præfati libri essent originales, stante quod prænominati Consultores retulerant, quod in iisdem codicibus multa legebantur inepta, & impropria, quæ si constaret, quod à Serva Dei fuissent scripta, vel dictata, offuscare possent heroicitatem illius virtutum, quod æquivocum detegi non potuit à Defensoribus tunc temporis, quià procedentes veluti in fide parentum, nec idcircò curantes obtinere permissionem oculariter inspiciendi præfatos libros, per hujusmodi oscitantiam, & incuriam ad idem æquivocum non animadverterunt.

6 Verum ejusdem prorsùs collacrymandi silentii ulteriorem durationem ægrè ferentibus Hyspaniarum Populis, utpotè qui sic privati remanent commodo recurrendi ad intercessionem Servæ Dei, quam nedum Sanctitatis fama conspicuam, sed admodùm propitiam per duo ferè sæcula semper experti sunt ob innumeras gratias, quas recurrentes ad ejus sepulcrum à Deo reportare consueverunt, ut testabantur innumeræ votivæ tabellæ circà illud appensæ; Idcircò novus ad Urbem ablegatus fuit Postulator, qui pro sua eximia diligentia re-

benè perspectâ, & agnito æquivoco, cum quo usque modò processum fuit, supplicavit S. M. Benedicto XIII. ut Causam revidendam committeret, idemque precibus indulgens, prævia subrogatione Emi Gotti in Relatorem, deputavit particularem Congregationem, nempè Eminentissimorum Gotti Ponentis, Bellugæ, & Porzię, & subindè demandavit Rmo Promotori, ut relationem pro veritate super statu Causæ exararet, quâ edita, propositâque Causâ, recognitum fuit æquivocum, nempè quod iidem libri non essent scripti, nec dictati à Serva Dei, & idcircò non caderent sub censura decreti S. M. Urbani VIII., neque prosequutioni Causæ obicem facerent, tamèn ad cautiùs agendum eadem particularis Congregatio rescripsit = *non posse procedi ad ulteriora, nisi exhibeantur libri originales* =

7 Ad obsequendum autèm huic rescripto pro modo possibili Postulator obtinuit ab hac Sac. Congregatione literas remissoriales ad effectum, rursùs perquirendi hujusmodi ass. Originales in prænominato Archivio Conventus Servæ Dei; nec non etiam in Conventu S. Francisci Matritensi, ubi *P. Navarrus* demoratus fuit; Item & in Conventu S. Joannis Regum Toleti, ubi etiam prò tempore idem permansit; Ac insuper & in Conventu Vallisoletano, ubi vixit Daza; Et tandem in Archivio Sacræ Inquisitionis Matriti, in quo ex incerto rumore asserebatur, quod tales ass. Originales quondàm extiterint, & approbati fuerint. Prædictisque literis in Hyspaniam transmissis, ac peractis ad formam instructionis Rmi Promotoris eisdem litteris annexę, omnibus possibilibus diligentiis, indagationibus, & cauthelis prò eisdem assertis Originalibus reperiendis, nullum prorsùs eorundem vestigium inventum fuit, imò in comperto extitit, ne notitiam quidèm aliquam fuisse à sexaginta retrò annis habitam, nisi de prędictis dumtaxàt libris ad Urbem transportatis, ut de hujusmodi exactissimis diligentiis constat ex tribus processiculis *Sum. n.3.*, *4.*, & *5*,

8 Rebus ità se habentibus fuit per SS. D. N. ulterior hujus puncti determinatio delegata huic Sac. Congregationi *Summ. num. 6*, cui proinde humiliter supplicamus, ut ad pręinsertum dubium *affirmativè* rescribere dignetur, *scilicèt esse procedendum ad ulteriora in Causa*, nempè ad discussionem miraculorum juxtà Decretum S. M. Clementis IX., nec voti compotes fieri diffidimus,

9 Quandoquidem posito, uti est incontrovertibile, quod libri ad Urbem olìm transportati, & sub censura Card. Boną, & P. Exparza suppositi, non sint neque scripti, neque dictati à Serva Dei Joanna de Cruce, sicuti fuit recognitum à memorata Congregatione particulari, quę rescribendo, quod *exhiberentur Originales*, de necessario consequenti fassa est, ac decrevit, illos jam exhibitos, originales non fuisse, idest neque scriptos, neque dictatos à Serva Dei; quo inquàm posito, nil aliud quęrendum, ut iidem libri jam exhibiti minimè comprehensi dicantur sub Decreto Urbani VIII., neque in consequens obstaculum faciant ulteriori Causę prosequutioni, nàm verba decreti sunt, *Si constiterit scripsisse*, eo ipso autem, quod non constat, Servam Dei scripsisse, aut dictasse, jam non applicantur hęc verba decreti, neque idcirco ipsum decretum sibi locum vindicare potest; Nàm quod lex non dicit, nec nos dicere debemus, *Cap. consuluisse 2. q.4.*, *Fagnan. in Cap. tuæ literæ n.36. de Cleric. per salt. promot.*, Maximè cum idem decretum sit lex pęnalis, & factum ad tollendos abusus, ideò potiùs de jure restringendum, ut in puncto firmat *Pignattel. Consult. 21.n.1. in fine* ibi = *quià decreta Urbani sunt pęnalia &c. ideò de jure restringenda* =

10 Et

10 Et licèt eadem particularis Congregatio suspicari posse authumaverit propter *Dazzæ*, *&* *Navarri* authoritatem, quod olim iidem originales in rerum natura extiterint, & ideò rescripserit, *exibeantur originales*, attamèn huic parti ex inconcusso stylo hujus Sac. Congregationis plenè satisfit per novas diligentias illos perquirendi in loco, in quo Authores, aut Historici eosdem libros extitisse referunt, prout hanc ipsam cauthelam insinuavit *Emus Lambertinus in voto*, quod edidit, dum esset Fidei Promotor in *Causa Neapolitana Canonizationis S. Jacobi de Marchia* §. 24. ibi = *In hac facti specie aliquis dicere posset reverà non constare, quod Dialogus Sac. Congregationi exhibitus reverà sit opus B. Jacobi, sed alium dialogum reperiri, quo Wadingus usus fuit, & de hoc, utpotè non exhibito, nec examinato, dici non posse, quod non constet esse opus Beati; Quamvis autèm ipse in eà sim opinione, ut dialogus hic exhibitus Sac. Congregationi, utpotè extractus ab Archivio S. Isidori, sit ille idem, quo Wadingus usus est, pro mea nihilominùs tenuitate dicerem, NOVAM fieri posse DILIGENTIAM in Archivio S. Isidori, ut videatur, an aliquod aliud Dialogi exemplar in eodem existat &c., quatenùs tamen hæc diligentia jam facta non sit* =

11 Undè cum in nostra hypotesi ultrà diligentias sexaginta ab hinc annis exactissimè factas ab Episcopo Timniensi *Summ. nom.* 2., aliæ nuper exquisitissimæ, omnesque possibiles perlustrationes, indagines, ac diligentiæ factæ extiterint à Judicibus per hanc Sac. Congregationem delegatis, & quidem non tàm in ipso Monasterio de Cruce, ubi illi citabantur *à Dazza*, *&* *Navarro*, sed & omnibus locis, ubi isti conversati fuerunt, & ubi prudenti, ac sagaci judicio vel suspicari, aut immaginari posset, illos per accidens esse reperiendos, *Summ. num.* 3. 4. *&* 5.; Cumque totus labor evaserit inanis, ex quo ne minima quidem haberi potuit notitia, imo ne levissimus quidem rumor de ass. Originalium existentia ubivis locorum imaginabilium, consequenter dici debet, jam remanere impossibilis effecta illorum reperitio, cùm per similes judiciales diligentias dicatur probata negativa *Peregr. Cons.* 74. *num.* 20. *vers. est quidem negativa lib.* 3. *Herculan. de negativa num.* 122., *&* 314. *Pacian. de probat. negat. Cap.* 46. *num.* 47., *&* 55. *Rot. cor. Merl. dec.* 754. *num.* 7. *in fin.*, ex quo fit, ut jàm satisfactum fuerit omni Legis rigori, nec idcirco ampliùs retardari debeat processus ad ulteriora in Causa, juxta stylum hujus Sac. Congregationis inconcussè amplexum in pluribus Causis, in quibus constito, quod exhibita scripta non erant originalia, demandato quod fierent novæ diligentiæ, hisque peractis, semper demandavit processum ad ulteriora, & signantèr ità practicatum fuit

12 In Causa Beatæ *HUMILITATIS*, in qua constabat de operum scriptione ex ipsis etiàm lectionibus Officii d. Beatæ, & tamèn examinatis scriptis ab Ordinario Sac. Congregationi transmissis cum supposito, quod essent originalia, & recognito esse simplices copias ab originalibus extractas, fuit commissa nova perquisitio, quâ expletâ, & examinato per Sac. Congregationem processu diligentiarum, mandavit ad ulteriora procedi in Causa.

13 Idem fuit practicatum in Causa Beati *NICOLAI ALBERGATI* Ordinis Cartusianorum, & S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Bononiensis; nec non in Causa Ven. Servi Dei *HJERONYMI EMILIANI* Congregationis Sommaschæ Fundatoris.

14 Nec hæsitandum, quin diligentiæ usque adhuc factæ pro reperiendis dd.

asser-

assertis Originalibus fuerint exactissimæ. Porrò exactissimæ fuerunt illæ, quæ de anno 1665. peractę fuerunt ab Episcopo Timniensi in dicto Monasterio S. Mariæ de Cruce, ubi allegatur à *Daza*, etenim Moniales ejusdem Monasterii priùs admonitas à P. Provinciali, ut in virtute S. Obedientiæ veritatem palàm facerent Delegato S. Congregationis, omnesque si quos haberent libros eidem consignarent, & in omnibus illi obtemperarent, easdem memoratus Episcopus delegatus sub Censuris coarctavit ad revelandum, utrùm in dicto Monasterio adfuissent alia scripta, prętер tunc exhibita, concernentia vitam, & sermones Servę Dei Joannę, & illę bis jureijurando affirmarunt = *Che non restava* in lor potere, ne sapevan' alcun altra cosa, che quello, *che avevano esibito* =, & quod plus est, hoc ipsum deposuit Abbatissa, quę in dicto Monasterio moram traxerat usque ab anno 1608., & sic à tempore, antequam Dazza librum suum Typis edidisset, non priùs editum, quàm anno 1610. necnon spatio 47. annorum, quot effluxerant usque ad annum 1665., quo fuit confectus idem processus, ut ex eodem latiùs videre est *Summ. dicto num.* 2. Religiosas autem Virgines nullo pacto pręsumi potest Censuras contemnere voluisse in tacendo, vel alterando veritatem, ut in simili considerat *Oldrad. Cons.* 276. *num.* 2. *vers. circa hoc etiam*, & *Spad. Cons.* 167. *num.* 9. *lib.* 2.

15 Sed longè exactiores fuerunt, quæ nuper reiteratę, & respectivè factę extiterunt in vim novę delegationis ab hac Sac. Congregatione directę Eminentissimo Archiepiscopo Toletano, tàm in eodem Monasterio, quàm in Conventu S. Joannis Regum Ordinis S. Francisci de observantia Civitatis Toletanę, & in alio Conventu Patrum S. Francisci de observantia Villę Matritensis juxta instructionem Reverendissimi Promotoris, quę adamussim fuit adimpleta, ut latè videre est *Summ. num.* 3.

16 Ac non minus exactæ sunt illę, quæ ab Episcopo Vallisoletano, seu ab ejus Subdelegato factæ extiterunt in Conventu S. Francisci de observantia ejusdem Civitatis in vim similis delegationis per literas ejusdem Sac. Congregationis, ac prævia simili distincta instructione Reverendissimi Promotoris *Summ. num.* 4.

17 Et similiter omni numero absolutæ sunt aliæ etiam, quæ factæ fuerunt in Archivio generalis Inquisitionis Matriti per Episcopum Inquisitorem generalem Hyspaniarum, ad quem ex præfato incerto rumore, non verò ex fundata notitia, & ad superabundantem diligentiam exhibendam mandatæ quoque ad instantiam Postulatoris fuerunt literæ unà cúm simili particulari instructione Rmi Promotoris *Summ. num.* 5.

18 In quibus omnibus locis fuerunt adamussim servatæ instructiones Rmi Promotoris, de quibus *Summ. num.* 3. §. 3., & *num.* 4. §. 1., & *num.* 5. §. 5. facta nimirum, ac demandata diligentissima perquisitio in Archiviis, Bibliotecis, & in omni parte eorundem locorum; Deputati ad perquirendum posteà formiter examinati fuerunt, & in eorum depositionibus negativam perfectè coarctarunt; Successivè affixa edicta comminatoria excommunicationis contra non revelantes, si qui forsan notitiam aliquam perquisitorum librorum habuissent, eaque remanserunt affixa per octo dies continuos juxta dictam instructionem, & his diligentissimè peractis, Episcopi delegati, & respectivè subdelegati singuli per literas testificati sunt de perquisitione

exa-

exactissimè facta, de impossibili existentia eorundem librorum in perquisitis locis, & de omnimoda fide Testibus examinatis exhibenda, ut signanter testatur Episcopus subdelegatus ab Emo Archiepiscopo, sicuti videre est *Summ. dicto num.3. §. 97., & 98.*

19 Cumquè ea sint omnia loca, in quibus verisimiliter existere deberent perquisita opuscula, si in rerum natura reperirentur, sicuti Rmo Promotori, & Sac. Congregationi visum fuit in delegatione Judicum ad reiteratam instantiam Postulatoris omnem exactissimam, & superabundantem desiderantis indagationem, sicuti etiàm suadet ipsa subiecta materia, videtur huic parti omninò satisfactum, ac superflua reddi omnis major diligentia ad ass. originales libros reperiendos, taliter quod si fortè isti olim in rerum natura extiterint, præsumi debet, vel quod fuerint olim casu cremati, vel tineis forsan consumpti, vel forsitan devotionis causa olim in varias particulas hinc inde inter Fideles dispartiti; &, utcumque sit, cum nullibi reperiri potuerint, perinde est, ac si nunquam fuissent in rerum natura, nam facta diligentia, illud, quod non reperitur, præsumitur non extare, ut *post Castrens. Cons.136. num.7. lib.1.* tradit *Ricciull. de neophit. Cap.7.n.5. in fin.*, paria enim sunt non esse, ac non reperiri posse, *ad text. in l. cum unus §. fin. ff. de author. Jud. posid. & l. cum ita §. species, ibique Bald. per d. Text. num. 2. ff. de legat.2., Barbos. axiom. 174. n. 11.*. Sicuti paria sunt non esse ac non apparere, vel non probari, *Cap. Solemnitates il 1. de consecr. dist.1., l.duo sunt Titii ff. de test. tut. l. in lege 77. ff. de contrah. empt. Abb. cons. 18. in princ. lib.2. Peregr. cons. 38. num. 6. lib. 1., Ricciull. de neoph. dicto Cap. 7. num. 5. Parexa de edit. instr. tit. 1. res.3. §.3. num.74., Barbos. dicto axiom.174.num.9., & 10., Surd. decis.149. num.2., Rot. coram Duran. decis.288.n.1.*

20 Quin minimum scrupulum pro hujusmodi processu ad ulteriora injicere queant Codices jam Sac. Congregationi de anno 1665. transmissi, ex quo isti, quatenùs nequeant dici originales, possint tamèn esse copia Originalium; Etenim prætendenti illos fuisse exemplatos ab originalibus, id incumbit onus concludenter probandi, nec sufficeret hoc probare, nisi etiam probaretur à quo, & quà authoritate, quavè solemnitate sint exemplati, cum de cœtero ex juris utriusque regula definitum extet, exemplis nullam esse præstandam fidem, *text. in Cap. 1. de fid. Instrum.* ibi = *si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus* = *& l. 2. ff. eod. tit. Canonistæ in dicto Cap.* 1. ubi notat. *Abb.* quod neque Princeps potest adhibere fidem exemplaribus, *Felin. in Cap. Cum olim num.12. de re judic. Covar. pract. qq. Cap.21. num.1. Barbos. in dicto Cap.1. num. 1., & 2. de fid. instr. Parexa de edit. instrum. tit.1. resol.3. §.3. num.4. Rot. coram Emo Falcon. tit. 21. decis. 6. num.1.*

21 Similiter in nihilum turbat, quod præfati Codices in Curia Romana existentes fuerint sub censura positi absque ulla reclamatione Postulatorum. Siquidèm si isti oscitantèr, cœca fide, ac inadvertentèr processerunt, eorum oscitantia, vel negligentia Causæ non præjudicat in confitendo, vel admittendo ea, quæ ab eorum potestate non dependent ex obvia Juris regula, quod Procurator in committendo nocere non potest, ejusque confessio revocatur à Principali etiam non docto de errore, *Angel. de confess. lib. 3. quæst. 1. num. 5., Rot. decis. 659. num. 5. coram Merlin., & decis. 35. num. 6. & 7. coram Duran., & decis. 270. num. 9. coram Greg.* potissimè ubi agitur de

Cau-

Causa respiciente interesse universalis Ecclesiæ, in qua præ omnibus sola rei veritas perquirenda est, post habitis omnibus juris subtilitatibus *Pignatell. Consult.*42. *num.*11. *tom.*4. *Rot. decis.*663. *num.*7., *&* 8. *part.* 18. *rec.*

22 Hinc juremerito de hujusmodi circamstantiis ab hac Sac. Congregatione nulla habita fuit ratio in Causa *Cracovien. Canonizationis Beati Joannis Cantii*; nam quantumvis plures Scriptores ejus vitæ tradidissent, ipsum Beatum fuisse verum authorem quorumdam librorum, de quibus in dicta Causa agebatur, quin insuper opusculum Adami Opotavii unius ex dd. Scriptoribus hæc continens longo tempore stetisset appensum in sepulcro Beati, tolerante Episcopo, ac non obstante quod iisdem Scriptoribus hæc Sac. Congregatio fidem adhibuisset in ordine ad approbationem cultus ab immemorabili ei præstiti, nec non tametsi Postulatores Causæ non sine magno labore, & impendio dd. libros eidem Beato tributos compulsare fecissent in processu super virtutibus authoritate Apostolica fabricato, ac judicialiter, iteratòque fatentes, illos fuisse scriptos à dicto Beato, eisdem usi fuerint ad fundandam probationem virtutum, nihilominus hæc omnia nullum obicem fecerunt, quin Sac. Congregatio cognità veritate, quod libri scripti non fuerant à dicto Beato rescriberet, non constare ass. Opera esse Beati Joannis Cantii, ut, recognosci potest ex ejus Positione, & signanter habetur ex particulis Animadversionum Rm̃i Promotoris, & responsionibus Postulatorum, de quibus *Summ.num.*7.

23 Et ratio rationis prædictorum omnium est, quià Decretum Urbani VIII. loquitur per verba conditionalia, ibi = *Præterea illud etiam diligentissimè indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile; NAM SI SCRIPSISSE CONSTITERIT, non prius &c.* = De ratione autem conditionis est, ut debeat perfectè purificari, & ideo non admittit semiplenas, vel præsumptivas probationes, vel Testes deponentes de publica voce, & fama, sed justificationes tales requirit, ex quibus resultet plenissima, vera, præcisa, & liquida probatio, ut in terminis conditionis, *si constiterit* est *text. in l. hujus cum ibi notatis ff. de cond. & demonstr. Decius in rubr. de probat. num.* 155. *Felin. ibidem num.* 3., *Barbos. de claus. clausul.* 25. *num.*6., egregie *Rot. decis.* 1453. *num.*9. *& seqq. coram Penia, & decis.*11. *num.* 2., *& decis.*53. *num.* 3. *coram Greg.*, *& decis.*87. *num.* 3. *coram Duran.*, *& decis.*41. *num.*1., *ibique Adden. n.*8. *coram Buratt.*, *& decis.*24. *num.*8. *coram Celso*, *& in rec. decis.*343. *num.*6. *part.* 6. *& decis.* 283. *num.*2. *part.* 10.

24 Idque idem exigit ipsa indoles verbi *Constare*, illud enim constare tunc solùm potest dici, quando adeò concludenter probatum est, ac per talem probationem, per quam nullus in mente Judicis relinquatur locus opinandi, suspicandi, aut dubitandi de opposito, *ut ex Barthol. in l. admonendi num.* 23. *ff. de jure jur. Amen. pact. illustrat. tit.*8. §.4. *num.*31., & in nostris præcisis terminis Decreti Urbani VIII. firmat *Mattheucc. in official. Cur. Cap.*47., ubi quod idem Decretum non admittit probationem præsumptivam, & melius *Em̃us Lambertinus* in suo voto edito in Causa Neapolitana Canonizationis S. Jacobi de Marchia §. 23. ibi = *Cum constare non possit de illa re, cujus oppositum est in linea probabilitatis, si autem non constat, Dialogum esse*

D. *Ja-*

*D. Jacobi, videtur, quod ad ulteriora sit procedendum in Causa, cum non sufficiat verisimilitudo, sed probationes debeant esse certissimæ, ut opus conscriptum impediat processum ad ulteriora; decreta quippe Urbani requirunt, quod constet, & constare dicitur illud, pro quo non sola militat probabilitas, sed pro quo fortissimæ assistunt probationes.* =

25 Ita ut quemadmodùm si Postulatores uti vellent hisce opusculis ad Urbem transmissis ad probandam sanctitatem, non utique admitterentur, ita nec admitti debeant, quoties ex iisdem aliquid desumi velit ad impediendum progressum ad ulteriora in Causa, nam in hoc etiam casu verba Decretorum Urbani requirendo certissimam probationem *ex mox firmatis*, utrumque adinvicem parificare videntur, ut apposité, & ingeniosè advertit idem *Emus Lambertinus* in dicto voto S. Jacobi de Marchia §. 19. ibi=*Si Dialogus hic non admitteretur, ut opus Beati, quoties Postulatores eodem uti vellent ad probandam Sanctitatem, nec idem pariter admitti poterit, ut opus illius quoties ab eodem aliquid prætendatur desumi, quod impediat progressum in Causa ad ulteriora &c. quia verba Decretorum Urbani, à quibus derivat necessitas opera revidendi, utrumque ex prædictis casibus parificare videntur, ut infrà demonstrabitur, ita ut quemadmodum probationes debent esse certæ, quoties agitur de sanctitate promovenda, probationes pariter æquali certitudine potiri debeant, quoties ab opere aliquo desumitur argumentum sanctitati adversativum.* =

26 Diximus confessiones Procuratorum posse revocari, etiam non docto de errore, sed hìc ultrà quod nulla adfuit confessio explicita, sed fuit mera, ac verè deploranda æquivocatio, consistens in facto negativo, nempè in non impugnando assertorum Codicum suppositionem censurationi; adhuc error jam superlativè probatus, & admissus extitit in memorata Congregatione particulari, & manibus ipsis palpatur; nàm duo sunt ass. libri originales, ambo scripti à Moniali Maria Evangelista; Alter 71. Sermonum, quos Serva Dei protulisse dicitur in extasim rapta: alter vitæ, ac gestorum ipsius Servæ Dei; Libri autem Romam advecti patet manifestè, quod hujusmodi asserti originales non sint, tum quià *P. Navarrus*, qui de illis meminit, dicit, ambos esse ejusdem, & omninò consimilis caracteris *Summ. n.* 8., & tamen caracter, quo unus scriptus est, longè differt à caractere, quo scriptus est alter, dum liber Sermonum est scriptus caractere vulgò dicto *Stampatella*, liber verò vitę scriptus apparet caractere currenti. Tùm quià idem Navarrus refert, caracterem utriusque esse antiquum, & tamen in neutro est caracter antiquus, quià liber vitę est scriptus caractere moderno; caracter vero *Stampatella*, quo scriptus est liber sermonum, nequaquam censeri potest antiquus. Tùm demùm quià tam *Daza*, quàm *Navarrus* asserunt utrumquè librum fuisse scriptum à Maria Evangelista *Summ. d. num.* 8. *& n.* 9. & tamèn liber sermonum scriptus caractere vulgò dicto *Stampatella* inverisimile est, quod fuerit scriptus à Maria Evangelista, cùm ille non esset caracter de illo tempore usitatus, nec proprius mulieris.

27 Quò verò ad alterum librum vitę, & actorum Servæ Dei inconfesso est, quod hic non sit scriptus ab eadem Serva Dei, minusvè à Sor. Maria Evangelista, cum sit diversi caracteris, & scriptus appareat à quodam asserto, & anomolo Servæ Dei Confessario, sicuti habetur ex ipsa intitulatione libri, quę latina versione ita se habet ibi = *LIBER DE VITA, OPERIBUS, ET STUPENDIS MIRACU-*

*LIS S. JOANNÆ A' CRUCE &c.*, *SICUTI COMPILATUS EST A' QUODAM DEVOTO PATRE EJUSDEM ORDINIS IPSIUS CONFESSARIO* =, Minusuè dici potest ab ea dictatus, cum de hac dictatione nullā habeatur justificatio, imò ad evidentiam exclusa remanet, tùm ex ipsa intitulatione, in quà dum dicitur, quod fuit compilatus, & hyspanico idiomate, *YLO RECOPILO'*, hoc verbum sonat in *componere*, seu *raccorre*, non autem ad dictamen scribere, *Formosin lexic: hyspan.*, *verbo recopilare*; Tùm ex quo Scriptor semper loquitur de Joanna in tertia persona, & cum nomine *SANCTÆ*, vel *BEATÆ*: insuper narrat mortem, & miracula ad ejus intercessionem post ipsius Servę Dei obitum, quę omnia de directo excludunt, quod liber fuerit ab ipsa dictatus, ut in simili bene advertit *Rot. dec.* 17. *num.* 17., *&* 18. *coram Arguell.*

28 Quin prætendi valeat, quod cum originales non reperiantur, pręsumi debeant isti ad Urbem transmissi ex originalibus exemplati; nàm redit superiùs data responsio, tum quod ad exemplaria judicare non possumus, nisi scripturam authenticam videmus, ut dicit *Text. in Cap.* 1. *de fide Instr. cum aliis supra* §. 20. tùm etiàm quià de ista exemplatione ab originalibus nullus datur probationis fumus, & tamen esset ab opposita parte concludenter probanda, dum respectu libri sermonum non implicat, quo quis, originali deperdito, aliquarum rerum in eo contentarum memor, has in scriptis redigere voluerit nimia motus pietate, & zelo conservandi memoriam Servę Dei, & ita cum veris etiam falsa miscuerit, quod sanè non est impossibile, & sola possibilitas excludit plenam, & concludentem probationem pro hujusmodi effectu requisitam juxta laudatum votum Emi Lambertini *in Causa S. Jacobi de Marchia cit.* §. 23. Respectu verò ad librun vitę tantum abest, quod probari possit autenticè exemplatus ab originali Marię Evangelistę, ut potius primarius Author illius fuerit quidam assertus Confessarius anomolus, qui illum composuit, ut *superiori* §. mox advertimus. Cui quidem asserto Confessario ex hoc ipso, quod ejus nomen ignoratur, & est anonimus, nullam promeretur fidem *text. in Cap. S. Romana Ecclesia* 15. *dist. ibiq. Glos. additionalis*, *& ex Conc. Trid. Sess.*4. *in decreto de editione librorum* ibi = *sine nomine Authoris* = *Barbos ibidem num.*4. *Stephan. Veceyms. in Const.*24. *ex jure antiquo desumptas, & per Conc. innov. Const.* 24. *num.* 12. *pag.* 282., *Lezzan. Consult.* 1. *num.* 135., *Rot. coram Otthob. dec.* 234. *n.* 6.

29 Vere igitur, ac summoperè deplorabilis fuit error, & oscitantia Postulatorum nullatenùs reclamando, ac patiendo assertos libros Censuræ supponi, quamvis nec originales, ac quod magis, nec etiam copias Originalium, quando in Causa B. Humilitatis nec etiam veras copias hæc Sac. Congregatio voluit censuræ supponere ex sola supradicta ratione, quod *ad exemplaria nonsit judicandum*, quod sanè multò magis in casu nostro, in quo libri adducti nec rationem exemplarium habent. Quapropter detecto nunc errore, & constito quod libri ad Urbem portati non sunt Servę Dei, censuræ illis datæ haberi debent, ac si nunquam datæ fuissent; Imò cum talis falsa existimatio eorundem librorum tanquàm Servæ Dei, occasionem dederit tàm ingenti præjudicio ejus Causæ, ut quæ prius in Romana Curia maxima cum acclamatione, ac Fidelium devotione tractabatur, deinde per sexaginta continuos annos deplorabili silentio damnata, pristino hoc honore orbata remanserit, causa tam illustris immeritò sic

deni-

denigrata digna videtur pietate EE. PP.; ut favorabili, atque eò celeriori prosequutione damnum hoc compensare dignentur.

30 Fortiùs, & procul omni hæsitatione, quià etiam in casu, quo versaremur in libris originalibus, adhùc isti minimè sunt compræhensi sub decreto Urbani VIII., nam in primis loquendo de asserto libro originali sermonum, non constat ex *Daza*, aut *Navarro* talem fuisse scriptum, aut saltem dictatum à Serva Dei Joanna. Siquidem Authores isti citando hunc librum solumodò dicunt, quod præmemorata Maria Evangelista audiendo sermones, quos Serva Dei (ut ajunt) in suis raptibus prædicabat, illos postmodùm scriptis mandabat, proùt eosdem ex tali auditione memoriter retinebat; quod sanè non est scribere dictata, ut per se patet, nisi quis gratis prætendere velit, quod dictare, & prædicare sint idem, quod est paradoxum, & in consequens hic est casus omissus minimè compræhensus in decreto, *l. Commodissime ff. de liber., & posth., l. Sancimus C. de testam. Fagnan. cit. Cap. tuæ literæ num.46. in fin.* Præsertim cum fuerint scripti longè post illos auditos, & absente Serva Dei, & agebatur non de conciunculis, sed de concionibus longissimæ durationis, ut refertur à præfatis Authoribus, & sic inevitabile erat hallucinationum, & errorum periculum.

31 Propterea nec in verbis, nec in spiritu iidem sermones comprehendi possunt sub dicto Decreto Urbani, sicuti loquendo de libro sermonum in Curia existente, ob has rationes minimè comprehendi apertè fatetur *P. Exparza* unus ex Consultoribus deputatis ad illorum revisionem juxtà aurea verba, quæ dantur *Sum. num.*10., & hìc repetere non piget, ibi = *Addo in fine, quicquid, & quomodolibet in istiusmodi Codicibus dicitur, non posse multum suffragari, aut derogare existimationi, ac judicio probitatis, seù Sanctitatis, quà alioquin emineret Serva Dei Joanna de Cruce: constat enim ex hujusmodi Codicibus, & maximè ex* pag. illa 99. *à me superius præindicata, ipsam Servam Dei NIL HORUM SCRIPSISSE, aut DICTASSE, sed alias quasdam Moniales auscultantes Servam Dei, quando alloquebatur cum Deo, scripsisse deinde, quæ audierant, QUATENUS EORUM MEMINISSE POTUERE, easdem iisdem à se auditis proprio marte attribuisse nomen, & gradum divinarum revelationum, nullo facto discrimine, aut non idoneè facto inter alias, & alias res, & locutiones, metaphoras, stropologias, quâ profectò in re facile obrepere potuit multiplex enormis deceptio absque ulla, vel minima voluntaria, vel involuntaria deceptione Servę Dei Ioannæ, atque præter intentionem, & mentem ipsius, ut ex iis scriptis juxtà judicium, & placitum prædictarum fæminarum nullum plane judicium fieri possit, aut etiam concipi suspicio satis fundata de qualitate communicationis Servæ Dei cum ipso Deo, & multò minus de vera ejusdem probitate, aut sanctitate, aut de defectu utriusque; ac proinde considerari, expendi, atque examinari possunt, ac si tales libri nunquam fuissent* = Et hoc, quod Pater Exparza dixit de libro ad Urbem transmisso, idem militat de asserto originali, quatenus in rerum natura existeret.

32 Loquendo deinde de asserto originali libro vitæ, quem refert Daza scriptum fuisse ab eadem Maria Evangelista, neque etiam hunc, si originaliter exhiberetur, constat sub decreto comprehendi; &ratio clara videtur, nàm decretum loquitur per verba; *si constiterit scripsisse*, quę conditio deberet verificari in forma specifica, & cum versemur in

 odio-

odiosis, verbum *scripsisse* deberet intelligi de scriptione in sensu proprio, hoc est de scriptione de perse, non autem in sensu improprio, & ficto, sicuti est dictatio, cum in odiosis verba sint accipienda strictè, ac propri; è non autem impropriè, *l. non aliter ff. de legat.3. Surd. decis.88. num.27.*, *Rot. dec.299. num.23. part.12. rec.*, quod & de natura conditionis est, ut perfectè adimpleri debeat in propria significatione *l. hæredi, & l. Mevius ff. de cond. & dem. Signirol. cons.253. num.1. ad fin. Ruin. cons.81. num.15. lib.2.*, *Mant. de conject. lib.11. tit.16. num.8*. Tamèn ad summum tunc solùm ad dictationem posset fieri extensio, quando eadem militaret ratio, & idem sequeretur effectus, ut loquendo in levioribus terminis ultimarum voluntatum, & sic in favorabilibus prosequitur *Mantic. dict. tit.16. sub num.8. vers. & sufficit*. Dictatio autèm tunc demùm potest æquipollere scriptioni quòad identitatem rationis, & effectus, quandò hæc duo concurrerent, primum nempe, quod sit vera, & propria dictatio, scilicèt scribendorum tractìm pronunciatio, ut calamo excipi possint, ut definitur *à Passerat. Calepin.*, ac in omnibus *Lexicis* verbo *DICTO*, & secundum quod scripta postea sint revisa à Dictante, aliàs in eo, quod dictatum est, non potest esse par ratio, & effectus, ac in eo quod est à se scriptum per se ipsum, dum nemini latet, quàm magni errores, defectiones, & amphibologiæ irrepere soleant incurià, & ignorantià Amanuensium.

33 Hujus autem indolis profectò non fuit, nec probari poterit, quod fuerit asserta dictatio dicti libri vitæ, si originaliter exhiberetur; Quia memorati Authores solùm asserunt, Mariam Evangelistam scripsisse librum de vita Servæ Dei Joannæ, ab hac dictatum ex mandato sui Angeli Custodis; Ex hujusmodi autem narratis per *Dazam* concludenter non constat de vera, & rigorosa dictatione, nempe quod fuerit tractim, & paulatim de verbo ad verbum literaliter tradita; sed potest credi, imò verisimile est, quod Serva Dei narraverit Mariæ Evangelistæ successus suæ vitæ ad modum conjuncti, & per continuam seriem, simul & semel, & sufficit possibile esse, ut probatio, ad effectum, de quo agitur, non concludat, juxtà sæpe laudatum *votum Emi Lambertini in causa S. Iacobi de Marchia* §.23.

Imò quod potiùs hoc pacto res se habuerit, non autèm quod fuerit vera dictatio, apprimè suadetur ex pluribus, quæ subjungit ipse *Daza in dict. cap.15.* suæ historiæ, signanter, tum primò quia dicit, Servam Dei tunc temporis in suo lecto detineri infirmam paraliticam, & morti proximam, & sic verisimilius est, quod juxtà mandatum Angeli Custodis solùm narraverit Mariæ Evangelistæ casus, & successus suæ vitæ. Tum secundò, & evidentius, quia idem Daza ibidem subjungit, Servam Dei rogasse Angelum suum Custodem = *CHE SI CONTENTASSE DELLO SCRITTO, NE A' PIU' L'OBLIGASSE* = Hocque Angelum ultrò ei concessisse, ibi = *GLE LO CONCESSE DI GRADO, E DISSE, DIRAI ALLA TUA SORELLA, CHE DI SCRIVERE SI FERMI* =, postea Serva Dei = *ALLA MONACA DISSE, CHE DI SCRIVERE RIMANESSE* =, nil igitur clarius, quod Monialis scribebat de per se, non autem sub rigoroso, & formali dictamine Servæ Dei, alias opus non fuisset præcipere Mariæ Evangelistæ, ut amplius à scribendo se abstineret, ut de se patet.

34 Nec sanè desunt exempla hujusce rei admodum persuasiva, & inter cætera *Primum* subministrat humilis, ac devotus Confessarius B. Angelæ

gelæ de Fulgineo, cui Beata communicabat, ut par erat, omnia, quę cælitus accipiebat, ut illa ipse scriberet, iste autem quamvis faceret (ut ipsemet fatetur) quantum poterat, ut veraciter apponeret verba audita dumtaxàt, tamèn possibile non fuit, quin sensum, & intelligentias mutaret, ut patet ex ipsius confessione super hoc facta in secundo prologo ad vitam ipsius Beatæ per hæc precisa verba ibi = *Ego in veritate ita parum capere poteram quandoque de illis, quæ dicebat ad scribendum, quod cogitavi, quod eram sicut cribrum, & saccia, quæ prætiosam substantiam effundit, & retinet magis grossam, potest tamen aliqualiter patere, quod ego non poteram capere de istis verbis divinis, nisi magis grossa; quià aliquando dum scribebam rectè, sicut à suo ore capere poteram, relegenti mihi, quæ scripseram, dixit quandoque admirando, quod non cognoscebat illa. Et hoc absque dubio erat propter defectum meum, non quod ego adderem aliquid de meo, sed quod in veritate non poteram capere, quæ dicebat propter insufficientiam meam.*

35 Secundum depromitur ex eo, quod notat *Syxtus Senensis lib.2. ex Diodoro Tarsen., Cornel. à lapide, Heimberg. de Orig. Sac. Script. lib.11. cap.19. & alii* referentes, quod Episcopus Iconii nomine *TERTIUS* discipulus, & amanuensis D. Pauli, dictante Apostolo, scripsit eam, quæ est ad Romanos, Epistolam, in cujus finem salutationem suam apponens ait = *SALUTO VOS EGO TERTIUS, QUI SCRIPSI EPISTOLAM HANC IN DOMINO* =, Is cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quæ propter multitudinem, & sublimitatem quæstionum cæteris Pauli Apostoli obscurior est, longe reddidit obscurissimam, dum sensus, & cogitationes Pauli, locutionibus interdum confusis, & inabsolutis sententiis, & transposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare, ut notant *supracitati Doctores in mox indicatis locis*; Et confert ratio, quam loquens de eodem D. Paulo desuper reddit *D. Hieronym. in epistol. ad Algas qu.10. dicens = profundos, & reconditos sensus lingua non explicat, & cum ipse* (nempe Paulus) *sentiat quid loquatur, in alienas tamen aures puro non potest transferre sermone* =

36 Tertium promanat ab eo, quod accidit S.Brigittæ, quæ licèt scripsisset suas revelationes à divino oraculo sibi priùs recitatas, tamen habuit præceptum à Domino, ut sua scripta dilucidanda, atque emendanda traderet suo Confessario, & Episcopo, ut ipsamet refert in suis revelationibus *revel.49. sermon. extravag.* ibi = *Ait enim Divinus Magister ad suam illuminatam Famulam: Trade omnes libros revelationum eorundem verborum meorum Episcopo meo Eremitę, qui conscribat, & elucidet, & catholicum sensum spiritus mei teneat.*

37 Si ergò emendatione indiguerunt ea, quę auribus propriis à Christi ore percepta, scriptis mandaverat illuminata, & oraculo divino docta famula Dei Brigitta; si sensus, & cogitationes à Doctore gentium dictatas confusis, & inabsolutis sententiis obscurissimas reddidit ipsius Apostoli Discipulus, & simul Amanuensis, ac S. Ecclesię Episcopus; si contigit errasse, ac sensum in multis variasse perito, & experto Confessario B. Angelę de Fulgineo, quid contingere poterat simplici, & imperitæ Moniali, quæ dictata Servæ Dei Joannæ de Cruce supponitur scripsisse; præsertim cum nec ex citatis Authoribus, nec aliundè constet de assertorum originalium revisione per eandem nostram Servam Dei factam; Profectò si huic eadem Amanuensis relegisset omnia, quę ipsam scripsisse supponimus (quę tamèn nec scripsisse,

fiſſe, nec relegiſſe ullatenus conſtat) utiquè forsàn Serva Dei Joanna dictæ ſuę Scriptrici dixiſſet, quod B. Angela dixerat ſuo Confeſſario: nimirum = *SE TALIA SCRIPTA NON COGNOSCERE* =

38 Abſque eo quod momenti ſit replicatio, ſi fortè dicatur, quod Maria Evangeliſta habuerit à Deo infuſam artem ſcribendi, & legendi, & ideò non præſumatur erraſſe. Etenim ultrà quod Deus non obligatur ad continuationem miraculi; alia magis patenti fallacia argumentum laborat, nàm miraculoſa infuſio artis ſcribendi ad ſummum probare poſſet, quod illa non præſumatur erraſſe in arte ſcribendi, ſed ad effectum ne erraret in tradendo ſcriptis auditas locutiones, in explicando conceptus mentis, in interpretando revelationes, metaphoras, ſtrophologias, ac miſterioſas viſiones, quæ omnia referre ſine minimo defectu, ac ſine ullo exceſſu, hoc nihil habet agere cum arte ſcribendi, ſed opus habet alio diſtincto, & novo miraculo, cùm innumeri ſint, qui arte ſcribendi perfectiſſimè callent, nemo tamen qui tam inſigni memoria, & tanta mentis diſcretione polleat, invenitur; quippe = *omnium habere memoriam, & in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis eſt* = ut ait *Imp. in l.2. §. Si quid autem C. de vet. jure enucl*; atque adeò conſtanter dicimus, quod opus Dei fuit perfectiſſimum in tribuendo præfatæ Moniali ſcientiam ſcribendi, & legendi, non indè tamen ſe obligavit ad calamum ipſius regendum, ad mentem ejus illuminandam, & memoriam tenaciter fecundandam, ut audita intelligeret perfectè, tenaciter memorià retineret ſenſus, & verba à Serva Dei Joanna in ſui ſpiritus fervore, mentiſque raptibus prolata exactè caperet. Perfectio enim miraculi ſtat in illa inſtantanea infuſione artis ſcribendi, ac ſi longo ſtudio, & propria applicatione eandem artem acquiſiviſſet, quod verificatur in hypoteſi, tametſi Deus de cętero reliquiſſet ad talem infuſam artem pure exercendam, proùt ſua naturalis intelligentia, memoria, cæteræque ejus facultates naturales naturalitèr poſſent operari. Sic perfectum fuit Dei miraculum, quod Pueri lactentes in triumpho Hieroſolymitano canerent = *Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna &c.*, quin ex eo Deus illos illuminaret, ut agnoſcerent, quid velint dicere talia verba, quod eſſet aliud diverſum miraculum. Similitèr perfectum fuit opus Dei infundendo Profetæ Amos ruſticana verba juxta ipſius ruſticanam naturam, abſque eo quod infunderit expreſſiones ornatas, & excelſa verba. Perfecta itidem (quis audebit negare) fuerunt opera Dei revelando S. Brigittæ, S. Catharinæ Senenſi, aliiſque quamplurimis alta miſteria, præcipiendo, ut illa ſcriberent, tamèn Deus non ſe obligavit, ut iſtæ illa ſcriberent tam adæquatis verbis, ut in nulla propoſitione reluceret aliquid nota dignum, cum in ipſarum ſcriptis reperiantur verba, quæ ſenſu magis ſano, & meliori intelligentia, quàm ſonant, intelligi debent. Profunda etiam miſteria revelavit D. Paulo ad ſcribendum, tamen illa, ut teſtatur D. Hieronym. in Epiſt. ad Algat., *in alienas aures puro non potuit transferre ſermone*.

39 Et ſi fortè dicatur, Mariam Evangeliſtam hoc novo miraculo deſtitutam non remanſiſſe, ultra quod hoc gratis diceretur, nec ulla dari poteſt probatio; Oppoſitores in alium inciderent ſcopulum, quia hinc fateri neceſſe haberent, nihil ab illa ſcriptum fuiſſe, quod nota, vel cenſura dignum ſit, cum Deus non ſit patrator miraculorum in confirmationem falſæ doctrinæ, quià mendacio cooperaretur, quod implicat, *Pignatt. Conſult.103. n.15. tom.9. cum aliis infra allegandis*.

40 Aſt

40 Ast hæc de figurabili originali libri vitæ ad exuberantiam dicta sint, quià illè portatus ad Urbem talis non est, ut controverti nequit, alium ex tot exquisitissimis diligentiis impossibile fuit reperire, & sic habetur pro non extante in rerum natura, & in his terminis redit totiès supra laudata propositio, quod non est ampliùs retardabilis cursus Causæ, juxtà inconcussum stilum hujus Sac. Congregationis, quæ si in tot Causis, ac passim similibus, peractis diligentiis, id decernere consuevit, eò libentius id decernendum videtur in hac Causa, ponderando innumeras congruentias id apprimè suadentes, & quidem perpendendo; *PRIMO'*, quod in hac Causa fuerunt solemni decreto approbatæ virtutes Servæ Dei, ex quo fit, ut cum ejus bonitas, & rectitudo spiritus post virtutum approbationem canonicè factam, ampliùs in dubium revocari nequeant, omninò præsumi debet, nihil ipsam scripsisse, quod aberret à sana doctrina Ecclesiæ, aut bonos mores offendat, ad regulam, de qua *DD. in l. merito ff. pro Soc., & firmata per Boer. decis.105. num.6., Rot. dec.132. n.14. & seq. par.15. rec.*, & in nostro proposito bene observat Eminus Lambertinus *in sepecitato voto in Causa S. Jacobi de Marchia §.13. vers. inverisimile est itaquè &c.* Nescia est enim fallere virtus, ipsaque sola est signum veritatis, *ut ait Thom. Hurt. resol. moral. tract.1. n.934.* subdens ibi = *bona vita, boni mores, hac regula benè examinata omnia consonant* =, & una heroica virtute probata, hæc arguit ad reliquas, cum sint omnes connexæ, ut cum *D. Augustino, D. Thoma, Bonaventura, & aliis pluribus* firmat *Mastrius disp.7. de virtut. morabilib. qu.5. n.106.*, & dixerunt *Auditores Rotæ in relatione hujus Causæ art.3. vers. & quamvis, & vers. una itaque virtus*,

41 Secundò reflectendo ad singularem cultum, quem à die obitus 3. Maii 1534. habuit Serva Dei per continuum lapsum 130. annorum circiter, nonnisi in obsequium decretorum Urbani VIII. interruptum, quamvis sine necessitate, cum decreta præservent centenariam, & ante illorum publicationem sequutam anno 1634. jam completa erat centenaria, qua stante non poterat defraudari continuatione in possessione hujusmodi cultus, juxtà inconcussam, & notoriam praxim hujus Sac. Congregationis. Quæ quidèm cultus diuturna continuatio originem, ac fundamentum habuit ab illius singulari fama sanctitatis, & Fidelium devotione ejus patrocinium invocantim sub nomine *SANCTÆ JOANNÆ*, quod nomen *SANCTÆ, vel BEATÆ* in ore Fidelium delebile non fuit, sed adhùc perenniter perseverat, unde ipsius vera sanctitas piè suadetur, cum credibile non videatur, quod Deus permisisset, Fideles in tali opinione adeò tenaciter hucusque perseverare, si hæc falsa inniteretur sanctitate; indeque aliud non leve descendit motivum congruentiæ ad suadendum, non nisi bonum adfuisse spiritum in assertis scriptis, quę non apparent, & si quid pravum, vel minùs rectum in ipsis contigisset reperiri, illa fuisse merè supposita, & non propria veri. Servæ Dei.

42 Tertio descendit congruentialis ratio etiàm ex mirabili incorruptione corporis hujus Servæ Dei, suavissimum exhalantis odorem, & præseferentis mirandam flexibilitatem membrorum cùm venarum distinctione, illudque in tali statu perseverasse usque ad annum 1622., & sic post 88. annos à die obitus, deponunt Testes in Processu super virtutibus, & miraculis facto de dicto anno, & adhuc in hoc miraculoso statu perseverare, credimus constare ex alio processu facto de anno

no 1669., qui in Archivio Sac. Congregationis occlusus manet, & nondùm apertus. Ergò eò minùs credibile est, Servam Dei scripsisse ea, quæ sint censura, & reprobatione digna, nàm Deus non operatur miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, ut pro S. Jacobo de Marchia benè arguebat Emus Lambertinus *in d. suo voto* §.20.

43 Quarto non leve congruentiæ argumentum præstat etiàm approbatio assertorum non apparentium librorum facta per Dazam, & Navarrum, qui quidèm utpotè viri doctrina, & eruditione conspicui, authoritate graves, judicio circumspecti, dùm præfatos assertos libros laudant, ac speciali mentione comendant, credi non potest, quod si quid ibi pravum, aùt ineptum, aut censurâ dignum ab iisdem repertum esset, illud non animadvertissent, & animadversa pravitate, utique libros hujusmodi non approbassent, eosque de sana, & irreprobabili doctrina tantoperè non comendavissent; quibus quidem Authoribus si deferre quis velit super relata per eos existentia librorum, ipsis deferri utique debet etiam circa eorundem librorum per eosdem factam approbationem, animadvertendo, quod Daza non solum opera Servæ Dei ipse approbavit, sed refert illam fuisse ab Angelo repræhensam, eò quia desideraverit, quod aboleretur quod scriptum fuerat, ibi = *Tanto favorita con la licenza dell' Angelo la Serva di Dio rimase, che si rivolgè per dirle, Signore se le Sorelle si contentassero, gran consolatione, che s'annullasse quello, ch'è scritto, io sentirei. Ti perdoni Iddio tanto ardire, rispose l' Angelo, è luogo à penitenza di questo, che offeso l'ai con si mal pensiero = Summ. num.9.*

44 Quintò animadverti etiam supplicamus, quod demandando processum ad ulteriora in discussione miraculorum nullum fit præjudicium Ecclesiæ, nec aliquid causa acquirit, at miraculorum discussio versa vice omnem obsterget amaritudinem, nàm si miracula approbabuntur, jam tùnc habebimus divinum testimonium de Servæ Dei sanctitate, cum impossibile sit, Deum mendaciis, aut falsitati cooperari, illamque miraculis confirmare, juxta tradita per *Suarez. in 3. part. D. Thomę tom.2. disp.31. sect.1. pag.303.* ibi = *Pertinet ad divinam providentiam, ut non permittat aliquod falsum sub suo nomine, & authoritate proponi, aut exteriùs confirmari, vel secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum, illud esse dictum à Deo, & assentiendum ea certitudine, quę omnem dubietatem expellat, quià si Deus hoc permitteret, & cooperaretur ad omnia signa, & opera, quibus mendacium confirmatur, quamvis revera propriè non mentiretur, quodam modo tamen abuteretur suprema potestate in pręjudicium suę authoritatis, qua fide dignus extitit, nam si concurrentibus tot signis, & divinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis, adhuc posset superesse falsitas, nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per homines, vel per signa, quod est contra Divinam veritatem, quam ipsum oportet habere in dicendo* = Consonat *Cornel. à lapid. in cap.7. Matthęi vers.22. Bellarmin. tom.2. contr. lib.4. de not. Eccles. cap.4. col.188. Thom. Boz de sign. Eccles. lib. 5. cap. 1. pag. 153. in fin. tom. 1., & tom.2. lib.15. cap.1. pag.98. Scach. de not., & sign. sanct. sect.8. cap.1. pag.476. §. sed obstare, Pignatt. tom.9. consult.103. num.15., & num.24. in fin.*

45 Sextò demum, quod in hoc etiam sensu fuerunt Revisores opusculorum præsentium in Curia à Sac. Congregatione deputati, & signanter emeritus Card. Bona, qui specificis hisce verbis suam censuram concludit ibi = *Quare SI CERTO CONSTARET, quod ab ipsa*

*Joan-*

*Joanna tam hos sermones, quàm ea, quę supra ex ejus vita notaui, quolibet modo processisse, perpetuum silentium Causę ipsius Canonizationis imponendum fore; sed quià fieri potest, ut ipsa inscia hęc omnia à Confessario, vel à Monialibus fingerentur, ut de pietate quęstum facerent, crederem suspendendum esse judicium, & quia desunt hominum testimonia ad comprobandam facti ueritatem, potest procedi in Causę discussione, nulla prò nunc habita ratione horum scriptorum, donec deueniatur ad positionem miraculorum. Si enim miracula aderunt verè, & legitimè probata, jam non hominum, sed Dei infallibile testimonium habebimus; impossibile siquidem est, quod Dus falsam sanctitatem miraculis approbet. Ità censeo &c.* prout fusius in relatione Rmi Promotoris §. *quo verò ad alterum &c., pag.* 11.; quod idem militat de assertis originalibus.

Signor Licenziato D. Luigi de Velasco, e Santelices avendo visti questi atti, e diligenze, ordinò, che si dovessero rimettere à Monsignor Illmo Vescovo Inquisitore generale, ad effetto di trasmetterli alla Sagra Congregazione de'Riti, che n'aveva data la commissione, attesò che non si potevano fare altre diligenze, che quelle sin'ora fatte, per detti libri, ne si trovava notizia veruna de'medemi in detto Archivio, e si sottoscrisse, come del tutto fò fede.

§. 16. Decretum pro consignatione hujusmodi actorum Rmi Episcopo Inquisitori Generali ad effectum Romam transmittendi.

*Licenziato Don Luigi Velasco. D. Giuseppe Castillo, e Cossio Segretario.*

*Emi. e Rmi Signori.*

In essecuzione dell'Ordine dell' Emze Vostre partecipatomi dal Signor Cardinal Coscia in una sua dei 14. di Decembre dell'anno prossimopassato coll'annessa istruzzione, ad effetto di cercare nell' Archivio della generale Inquisizione, in cui asserivano conservarsi, li due libri originali scritti dalla Madre Maria Evangelista Compagna della Serva di Dio Giovanna della Croce già Abbadessa nel Monastero di S. Maria de Cubas del Terz'Ordine di S. Francesco, avendo prontamente ubbedito, e suddelegato nella Comissione à me incaricata, il Signor Licenziato Don Luigi de Velasco, e Santelices Consultore del detto Tribunale, sono state fatte dal medemo non poche, e continue diligenze affine di cercare in detto Archivio gl'accennati libri, senza essersi possuto rinvenire, nè esservi notizia delli medemi, nè pur che siano mai stati presentati, nè ordinato, che si presentassero in detto Tribunale per farne la censura, come costa dagl'atti, che rimetto eseguiti à tenore dell'istruzzione, che parimente si rimanda all'EE. VV., alli cui cenni dedico nuovamente la mia divota rassegnazione, e brama di essercitarmi in tutte le occorrenze, che siano per maggiore ossequio dell'Eminenze VV., à cui prego dal Cielo una lunga conservazione. Madrid del 1730.

§. 17. Epistola Rmi Episcopi Inquisitoris Generalis Hispaniarum responsiva ad Sac. Rit. Congregationem.

Dell'Eminenze Vostre.

Devotissimo Servitore. *Il Vescovo Inquisitore generale di Spagna &c.*

Beatissimo Padre.

Num. 6. *Supplex libellus SSmo D. nostro porrectus pro remissione causæ ad Sac. Congr. ordinariam.*

Essendosi in altri tempi introdotta, e felicemente proseguita nella Sagra Congregazione de'Riti la causa di Beatificazione, e Canonizazione della Venerabile Serva di Dio Giovanna della Croce Religiosa dell'Ordine Serafico nella Diocesi di Toledo, coll'occasione poi d'alcuni manoscritti, & opuscoli supposti dell'istessa Ven. Serva di Dio, ne fù sospeso con reiterate risoluzioni contrarie il progresso: Mà avendo li Postulatori dell' istessa causa in tempo della san: me: di Benedetto XIII. fatto nuovo ricorso, si compiacque la Santità sua deputare una Congregazione particolare di tre Cardinali per essaminare nuovamente detti manuscritti, quali effettivamente essaminati, e conosciutosi da medesimi con evidenza, che li pretesi opuscoli, ò manuscritti non erano originali, come sin' allora erano stati tenuti, si compiacquero sotto li 19. Settembre 1729. benignamente rescrivere = *non posse procedi ad ulterio-*

*ra, nisi exhibitis originalibus* = Onde à tenore di tal rescritto, & ad istanza degl' Oratori furono spedite sotto li 10. Decembre dell'istess'anno le lettere particolari dalla Sagra Congregazione de' Riti, ad effetto di fare, come è stata già effettuata, la perquisizione delli sudetti originali in diversi Archivj di quelle parti, e dovendosi ora riproporre la causa sopra l'istesso articolo de' manuscritti in vigore delle diligenze già fatte, & esibite negl' atti di detta Sagra Congregazione,

Li medesimi Postulatori supplicano umilmente la Santità Vostra, che quando non le piaccia di confermare l'istessa Congregazione particolare di trè Cardinali, deputata dalla sa: me:di Benedetto XIII. si degni commetterne l'esame alla piena Sagra Congregazione ordinaria de'Riti, in cui per il passato si è sempre proposto il medesimo articolo, ad effetto che risoluta con maggior pienezza de voti (come si spera) la difficoltà, che sin'ora hà ritardato il corso della causa, possa questa proseguirsi, e terminarsi con quel buon' esito, che sospira da tanto tempo la Religione Serafica, e tutta la Spagna, dove più che mai viene acclamata la santità della Serva di Dio per li continui miracoli, che si degna sua divina Maestà operare ad intercessione della medesima. Che il tutto &c.

*Foris* = Alla Santità di nostro Signore Clemente XII.

Per

Il Postulatore della Causa di Beatificazione, e Canonizazione dello Ven. Serva di Dio Giovanna della Croce dell' Ordine Serafico,

*A Monsignor Promotore della Fede*,

A. *Rescriptum SSmi, quo Causam remisit ad d. Cōgregationē ordinariam Sacr. Rituum.*

Ex audientia Sanctissimi die 27. Januarii 1731.

*Sanctitas sua remisit causam ad Congregationem ordinariam Sac. Rituum in statu, & terminis, in quibus reperitur.*

Carolus Albertus Archiepiscopus Philippen. Fidei Promotor.

Ita reperitur in proprio originali existen. in regestro Decretorum Congregationis Sac. Rituum. In cujus fidem &c.

N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus Secretarius.

Loco ✠ sigilli,

Num. 7. *Particulæ animadversionum Rmi Promotoris in Causa B. Ioannis Cantii.*

Ex Animadversionibus Reverendissimi Promotoris in causa Cracovien. Canonizationis B. Joannis Cantii super Dubio = *An constet ass. opera de quibus agitur esse B. Joannis Cantii*,

Gravis admodum quæstio &c.

Primò igitur ponderandum propono, quod in pluribus ex dictis libris legitur inscriptio præferens titulum Venerabilis, seù Beati Cantii, quinimmò in altero ex Tomis originalibus hùc transmissis impressa conspicitur ejusdem Bèati effigies &c.

Secundò ponderandum est, quod plures Historici, seù Scriptores, qui vitam asserti Beati Joannis Cantii litteris tradiderunt, eumdem uti Authorem librorum, de quibus agitur, intrepidè denominarunt; primus nempe *Simon Starovolscii* in ejus opere impresso anno 1625. &c. *Adamus Opatovius* in primo opere impresso anno 1628., & in secūdo edito anno 1632.&c:tertius denique quidam devotus, qui anno 1648. scripsit cum authoritate Rectoris Accademiæ Cracoviensis &c. Hæc autem conformis Scriptorum

tra-

traditio ſatis concludentem probationem conſtituere videtur ad effectum, ut editio librorum, de quibus agitur, dicto Beato Cantio valeat adſcribi, tùm quia iiſdem Scriptoribus hæc Sacra Congregatio jam fidem adhibuit in ordine ad approbationem cultus eidem Beato uſque ab immemorabili tempore præſtiti &c.

Tertiò ad augendam fidem præfatis Scriptoribus in ea, quam promulgarunt, traditione, quod aſſertus B. Joannes Cantius fuerit author librorum, de quibus agitur, multum conferre videtur ea circumſtantia, quod dicti Scriptores tantam apud omnes authoritatem obtinuere, ut liber vitæ dicti Beati conditus anno 1632. ab Adamo Opatavio, qui uniformatur aliis, de quibus ſupra, in actu viſitationis Cappellæ dicti Beati in oppido Kentii repertus fuerit appenſus ad ſcamna exiſtentia coram eadem Cappella &c.; Et occaſione viſitationis Eccleſiæ Sanctæ Annæ Civitatis Cracoviæ idem liber repertus paritèr fuerit appenſus ante ſepulcrum dicti Beati in eadem Eccleſia exiſtens &c.

Quintò demùm perpendendum eſt, quanti momenti ſit, quoque in pretio habenda judicialis, & in actibus adeò ſeriis iteratò emiſsa Cauſæ Poſtulatorum confeſſio, qui ad augendum nomen, & gloriam huic eorum aſserto Beato Joanni Cantio, nedùm authorem librorum, & operum, de quibus agitur, hactenùs eum deprædicaverunt, ſed, quod magis eſt, eoſdem libros magno temporis, laborum, & pecuniarum impendio in Proceſsu ſuper ejus aſsertis virtutibus, & miraculis in ſpecie authoritate apoſtolica confecto, compulſari fecerunt, ut ab ipſo citra dubium conſcriptos; An verò eiſdem Poſtulatoribus hodiè licere poſsit ab adeò ſolemni, & judiciali confeſsione reſilire, maturam poſtulat ponderationem; Quatenùs autèm licere debeat, ne ab eorum incuria, ſeù oſcitantia gravis adeò criminis nota inferatur Viro, qui prætenditur innoxius, & inculpabilis, hoc ſaltèm certum omninò eſt, quod probationes ad oſtendendum prætenſam erroneitatem ejuſmodi confeſsionis deberent eſſe univocæ concludentes, nullaque prorsùs exceptione elidibiles vulg. jur. &c.

Quæ dicta ſint &c.

*Carolus Albertus Archiepiſcopus Philippen. Fdei Promotor.*

**A.** *Particula reſtrictus facti, & juris reſponſivi ad dd. Animadverſiones.*

Eademque reſponſione collabeſcit id, quod ponderandum proponitur in ordine ad factum Poſtulatorum, qui ultrò faſsi fuerunt, & hactenùs Beatum deprædicaverunt authorem dictorum librorum, quivè inſuper magno cum temporis, ac expenſarum diſpendio eoſdem libros in Proceſſu authoritate apoſtolica confecto ſuper virtutibus compulſari curaverunt, tamquam indubitantèr ſcriptos à Beato Cantio; nam illi duplicem errandi cauſam habuerunt; primò ex librorum inſcriptione, poſtea verò ex Authoribus vitæ Beati, qui mendacium inſcriptionis pro certiſsima veritate vulgaverunt, Quamobrem iidem Poſtulatores non tantum excuſatione, ſed commendatione digni evadunt, ſi modò patefacta illis veritate, involuntarium errorem totis viribus ejurare ſtudent, inſimulque Beatum Joannem vindicare à macula illi impicta ex inconſulta eorum credulitate, cui etiam fomentum præbuit ardor inſerviendi majori Cauſæ, ac Beati exiſtimationi; Idque cenſeri nequit impugnatio propriæ confeſſionis, ſed ſincera retractatio proprii erroris in obſequium veritatis, quemadmodum ingenuos homines

 decet,

decet, & peragendum fore monet *D. Thom. num.2. quæst.109. artic. primo*; In omnemque casum exuberat responsio, quod si nemo Procurator præjudicare valet ejus Principali in committendo, & confitendo ea, quæ non pendent ab ejus potestate, *Castren. in l. non solum num. 2. ff. de procurat. Angel. de Confess. lib.3. quæst.1. num.1., & seqq. Rot. dec.452. num.19. coram Coccin. decis.59. n.9. coram Bich., & dec.602. num.4. coram clar. mem. Card. Caprara*; multò potiori jure id ipsum asserendum est in proposito, ubi res est de Causa respiciente interesse universalis Ecclesiæ, & in qua præ omnibus sola rei veritas perquirenda est, posthabitis omnibus juris subtilitatibus, ut notat *Pignattell. consult.42. num. 11. tom. 4., Matt. de Canonizat. Sanctor. part.5. cap. 16. num. 36., & Rot. decis.663. n.7., & 8. part.18. rec.*

Neque dicatur, quod saltem in hoc casu exhiberi deberent probationes clarè ostendentes errorem propriæ confessionis, ac Beatum nullo pacto hos libros scripsisse; Præterquam, quod nos non versamur in confessione edita ab ipso Beato, sed à Postulatoribus, qui, sicuti illi, ejusque Causæ nullum præjudicium inferre valuerunt, ita per consequens sub fundamento hujus confessionis modo adstringi nequeunt ad objectas probationes, quæ tunc solummodò redduntur necessariæ, quandò nempè quis directè impugnare contendit propriam confessionem &c.

Num. 8. *Particula Historiæ Patris Navarro.*

*Ex Navarro in sua Historia de vita Servæ Dei &c.*

Libro 4. Cap. 9. folio mihi 580.

| En Español. | In Italiano. |
| --- | --- |
| Esta Religiosa (loquitur de Maria Evangelista) nosolamente escriviò el libro del Conorte, en que se contienen los sermones que la Santa Vergen predicò en sus extasis, y raptos, sino tambien historiò en otro libro menor su vida, y milagros, de quien ijo he sacado muy gran parte de lo que en este libro se contiene. Consta de la forma misma de la letra, aver sido una mano, la que los escriviò; porque aunque es antiqua, es muy clara, y legible, y en ambos procediò la dicha Religiosa con tanto acierto, que se echa de ver averla Dios escogido milagrosamente para este ministerio, por lo qual son tenidos ambos en gran veneracion delas Religiosas de aquel Convento, y re- | Questa Religiosa (loquitur de Maria Evangelista) non solamente scrisse il libro del *Conorte* nel quale si contengono li sermoni, che la Santa Vergine predicò nelle sue estasi, e ratti, mà anche istoriò in un' altro libro minore la sua vita, e miracoli, dal quale io hò cavato assai gran parte di ciò, che in questo libro si contiene: Costa dalla medesima forma della lettera esser stata una mano, che gli scrisse; perche, ancorche sia antica, è molto chiara, e legibile, ed in ambedue hà proceduto la detta Religiosa con tanta esattezza, che hà fatto vedere, di averla Iddio miracolosamente eletta per questo servizio. Laonde entrambi si son tenuti in gran venerazione dalle Religiose di quel |

refieren por tradicion recibida de las mayores, que la dicha Maria Evangelista, que los escriviò, apareciò despues de muerta en el Coro à otra Religiosa, vestida de gran resplandor, y cō un libro de oro abierto en las manos, testificando con èl la gloria, que gozava por el trabajo, que tomò de escrivir la vida, milagros, y revelaciones de la Santa Juana.

quel Convento, e riferiscono per tradizione ricevuta dalle maggiori, che la detta Maria Evangelista, quale hà scritto essi libri, apparve dopo la morte ad un' altra Religiosa nel Coro, circondata d'un gran splendore, e con un libro d'oro aperto nelle mani, testificando con esso la gloria, che godeva, per la fatica, che prese nel scrivere la vita, miracoli, e rivelazioni della Santa Giovanna.

Num. 9. *Ex Historia Patris Daza.*

Ex Historia super vita, & miraculis hispanico idiomate à Fratre Antonio Daza Ord. Minor. in italicum traducta à Comite Paulo Brusantino Impressa Mutinæ *1616*.

Ex Cap. 19. = Come l'Angelo suo Custode commādò alla Serva di Dio che ponesse in carta le cose, che le rivelava il Signore &c.

= tanta la carità di Dio &c. ciò udendo ella con umiltà, è timore obbedendo all'Angelo, à scrivere per mano d'un altra Religiosa chiamata Suor Maria Evangelista, incominciò, la quale per tradizion del Convento, da una informazione avùta per testimonj giurati, che la conobbero, e glielo sentirono dire molte delle volte, non sepp'ella ne leggere, ne scrivere, finche miracolosamente le concedè Nostro Signore questa grazia per poter comporre il libro del Compendio, com'è già detto. E cosi molto accortamente scrisse la vita, ed i miracoli di questa ben fortunata Vergine. Questi due libri si conservano nel Convento, come reliquie di molta stima, d'essi valendosi contro le tempeste, e tuoni, e contro molte infermità. Sono entrambi molti antichi, e tutt' ora vivono due Religiose, che conobbero la stessa, che li scrisse, e glelo udiron molte volte dire, ed affermare, che fù Monaca di buona vita, gran penitente, e di molta orazione, e contemplazione; e che dopo morta ad un altra Religiosa apparve nella Chiesa con gran splendore; con un libro d'oro nelle mani aperto, che fù quello, che delle cose della gloriosa Giovanna ella scrisse. Sentia molto la Serva del Signore il vedere, che giamai quello, che la Monaca scrivea, si compisse, e quanto beatamente nello scrivere si caminava, perlo che poco anzi l'ultima infermità, della quale si morì, pregò l'Angelo suo Custode si contentasse dello scritto, nè à più l'obligasse. Glelo concesse di grado, e disse: *Dirai alla tua Sorella, che di scrivere si fermi*. Tanto favorita con la licenza dell'Angelo la Serva di Dio rimase, che si rivolgè per dirle: Signore, se le Sorelle si contentassero, gran consolazione, che si annullasse quello, che è scritto io sentirei. *Ti perdoni Iddio tanto ardire*, rispose l'Angelo, *è luogo à penitenza di questo, che offeso l'ai con così mal pensiero*. Con questo si spedì dall'Angelo, ed alla Monaca disse, che di scrivere rimanesse &c.

Num. 10. *Votum Patris Exparzæ alterius ex Theologis deputatis prò revisione assertorũ opusculorum.*

*Animadversio universalis circà istos libros.*

Addo in fine, quidquid, & quomodolibet in istiusmodi codicibus dicatur, *non posse multum suffragari, aut derogare existimationi, ac judicio probitatis, seù sanctitatis*, qua alioquin emineret Serva Dei Joanna de Cruce: constat enim ex iisdem codicibus, & maximè *ex pag. illa 99.* mox superiùs præindicata, istam Servam Dei per se ipsam nil horum scripsisse, aut dictasse, sed alias quasdam Moniales auscultantes Servam Dei, quandò alloquebatur cum Deo, scripsisse deindè, quæ audierant, quatenùs eorum meminisse potuere; easdemque iisdem à se auditis proprio marte attribuisse nomen, & gradum divinarum revelationum, nullo facto discrimine, aut non idoneè facto inter alias, & alias res, & loquutiones, methaphoras, stropologias, qua profectò in re facilè obrepere potuit multiplex enormis deceptio absque ulla vel culpa voluntaria, vel involuntaria deceptione Servę Dei Joannę, atque præter intentionem, & mentem ipsius, ut ex iis scriptis juxtà judicium, & placitum prædictarum fæminarum, nullum planè judicium fieri possit, aut etiam concipi suspicio satis fundata de qualitate communicationis Servę Dei cum ipso Deo, & multò minus de vera ejusdem probitate, ac sanctitate, aut de defectu utriusque, ac proindè quæ ad hoc punctum spectant, perindè considerari, expendi, atque examinari possunt, ac si tales libri scripti nunquam fuissent.

Ità judico in Domino cum debita respectu Majorum observantia, submissione, ac reverentia.

*Martinus de Exparza Soc. Jesu.*

Vidi insuper ingentem Tomum sermonum, ut fertur, ejusdem Servę Dei, eumque contuli cum tribus præcedentibus Tomis, de quibus supra, nilque mihi occurrit specialiter notandum de novo, quia omnia hæc scripta, sunt ejusdem prorsùs rationis; Ideòque confirmo rursùs circà hunc Tomum, quod dixi de tribus aliis, qui fuerunt extracti, ut videtur ex isto illis majori.

Ità judico, ut supra.

*Martinus de Exparza Soc. Jesu.*

REVISA

*Joannes Prunettus Sub-Promotor Fidei.*

13

# TOLETANA
## *Beatificationis, & Canonizationis*
VEN. SERVÆ DEI
# IOANNÆ DE CRVCE
## Monialis Professæ, & Abbatissæ Monasterij S. Mariæ de Cruce prope Oppidum de Cubas Tertij Ord. S. Francisci.
# ANIMADVERSIONES
## Rmi P. D. Fidei Promotoris.
SVPER DVBIO

*An stante prætensa non reperitione assertorum operum originalium, possit ad vlteriora procedi in casu &c.*

## *Eme, & Rme Dne.*



1 REnouant hodiè Postulatores eorum instantiam pro obtinendo processu ad vlteriora in hac Causa, quem ab anno 1678. vsque in præsens iteratis precibus enixè petitum impetrare non valuerunt. Spes autem, qua sibi modò blandiuntur obtinere exitum feliciorem, oritur ex noua defensionis methodo per ipsos nuper assumpta, quippe qui non intendunt ampliùs, vt olim conati sunt, vindicare controuersa opuscula, quæ asserebantur dictata per Dei Seruam, à grauissimis censuris, quibus ea notarunt eximij Viri Cardinalis Bona, & P. Martinus Exparza olim Sacræ huius Congregationis Consultores, sed admittendo, quod

 illa

illa pluribus possint scatere erroribus, totam in eo vim faciunt, vt mordicus negent, volumina, quæ subiecta fuerunt reuisioni præfatorum Censorum, esse de genere illorum Scriptorum Originalium, quæ iuxtà Decretum san. mem. Vrbani VIII. §. *Præterea*, debent necessariò reuideri, antequam in Causa procedatur.

2 An verò Postulatores nouum hoc assumptum satis probent, & an circumstantiæ, in quibus res est, permittere possint processum ad vlteriora, siue potiùs suadeant, persistendum esse in decretis, nimirum pro eadem impositione silentij, quæ demandata fuit dicto anno 1678., quæque successiuè pluribus tum Sacræ Congregationis, tum Summorum Pontificum rescriptis fuit confirmata, vti colligitur ex relatione iam dudum per me extensa super statu causæ *pag.6. §. Deindè verò, & sequen.* in præsentiarum à Postulatoribus distributa, nunc opus est examinare.

3 Rem igitur aggrediendo: Primum fundamentum, quod pro se allegant Postulatores, stat in Rescripto nuper edito à Congregatione Particulari Eminentissimorum DD. Gotti Ponentis, Bellugæ, & de Porzia, qui petentibus ijsdem Postulatoribus, vt tandem aliquando demandaretur processus ad vlteriora in hac Causa, rescribendum esse censuerunt sub die 20. Septembris 1729. = *Non posse procedi ad vlteriora, nisi exhibeantur Libri Originales* = Ex hoc namque Rescripto putant Postulatores, satis inferri, quod dicta Congregatio Particularis agnouerit, Libros hactenus exhibitos, & censuræ præfatorum Cardinalis Bona, & Patris Exparza subiectos, non esse originales.

4 At verò hæc consequentia non est absolutè desumenda; Ideò enim præfati Eminentissimi Patres edidere memoratum Rescriptum, quod non posset procedi ad vlteriora, nisi exhibitis libris originalibus, quia satis persuasum habentes, controuersos libros originales aliquando fuisse in rerum natura, & alioquin audientes effusos Postulatorum clamores firmiter asserentium, libros ad Vrbem transmissos, prædictæque censuræ subiectos, non esse originales, ita voluerunt ipsis indulgere, vt denuo authoritate huius Sacræ Congregationis exactiores confici possent diligentiæ, an fortè inuenirentur alij Codices, qui veriùs, vt ipsi contendebant, mererentur dici Originales. Cum autem ex diligentijs nouissimè peractis constiterit, nullos alios Codices reperiri potuisse, qui reuerà Originales dici valeant: Hinc est, quod hodiè etiam ad sensum prælaudati Rescripti Congregationis Particularis faciliùs dicendum venit, Codices huic Sacræ Congregationi iampridem exhibitos, & hactenus ab ipsis Postulatoribus pro Originalibus habitos reuerà tales esse. Cum enim eiusmodi qualitas de nullo alio Codice sit prædicabilis, iuremerito præfatis libris censenda est attributa, *Bart. in l. Chirographus 58. num.2. ff. de administrat., & peric. Tutor. Castrens. in l. 2. num. 5. Cod. de Testament., & Rot. coram Royas dec. 316. num.15.*

5 Corruente igitur priori Postulatorum fundamento, & contra illos potiùs vrgente circumstantia inutilitatis diligentiarum, quæ ad illorum petitionem denuò peractæ sunt pro inueniendis assertis Originalibus, vel saltem re in eodem statu manente, quo erat ante memoratum Rescriptum Congregationis Particularis, descendendum

dum nunc est ad examen aliarum rationum, quibus probare conantur, quod libri dudum exhibiti, ac à præfatis Censoribus reuisi, reuerà non sit Originales.

6 Vt autem clariùs ad effectum assequendæ veritatis procedatur, & dubia à non dubijs secernantur, præmittere debeo, quod cum res sit de duobus Codicibus, nempè de illo, qui agit de vita Seruæ Dei, & de altero continente sermones, quos eadem Serua Dei protulisse dicitur aliquando in extasim rapta; Respectu prioris libri non ægrè conuenio cum Postulatoribus, eum non posse iudicari originalem, tum quia character, quo scriptus conspicitur, non exhibet illud specimen antiquitatis, quàm verè præseferret, si originalis esset; Tum quia idemmet titulus eidem libro inscriptus denotat, eum fuisse exemplatum, siue compositum, aut recollectum ab Anonimo quodam se denominante Seruæ Dei Confessarium, ideòque cum non sit ille, qui, iuxtà constantem traditionem etiam à Patribus Daza, & Nauarro secutam, fuit à Sorore Maria Euangelista conscriptus, in veritatis obsequium diffiteri nolo, me censere, quod liber ille agens de vita Seruæ Dei non sit adeò rigidè subiectus Decreto Vrbani, quemadmodum subiectum existimo alterum continentem sermones, de quibus agitur.

7 Strictè itaque loquendo de hoc sermonum libro; Prima ratio, propter quam putant Postulatores, Codicem exhibitum non esse originalem, reponitur in eo, quod iste Codex non sit scriptus eodem charactere, quo apparet conscriptus liber vitæ Seruæ Dei, cum tamen iuxtà id, quod refert P. Nauarrus in sua Historia de Vita Seruæ Dei *lib.4. cap.9. fol.* 580., cuius particula ab ijsdem Postulatoribus data fuit in *Summario pag.* 60. *num.*8., vterque Codex originalis à se visus vno, eodemque charactere appareret conscriptus.

8 Verumtamen ratio ista videtur paruipendenda, si enim, vti mox diximus, admittatur, Codicem, in quo descripta est Vita Seruæ Dei, non esse illum Originalem, qui scriptus asseritur à Sorore Maria Euangelista, quique fortasse deuenit ad manus P. Nauarri, iam statim patet, quod argumentum desumptum à diuersitate characteris, quo descripti apparent duo hodierni Codices, nihil probat ad effectum excludendi, quin saltèm originalis sit liber continens sermones; Ille enim referens Vitam Seruæ Dei, quem Postulatores asserunt, scriptum fuisse à Sorore Maria Euangelista, potuit deperdi, postquam visus fuit à P. Nauarro, & e contra ab hoc deperditionis infortunio potuit præseruari alter liber sermonum, itaut istemet Codex continens sermones, qui hodiè exhibetur, sit reuerà ille originalis liber, cuius distinctè meminit sæpelaudatus P. Nauarrus in dicta eius Hostoria, *Summario pag.* 60. *num.* 8.

9 Neque magna carent probabilitate deperditio libri Originalis Vitæ Seruæ Dei, & respectiua præseruatio alterius continentis sermones. Prior enim ille liber vtpote molis exiguæ, facillimè potuit esse subiectus infortunio iacturæ, vt sępè sępius experientia edocemur. E contra verò alter continens sermones, cum constituat volumen ingens, & faraginosum, multo faciliùs valuit custodiri, cum regulariter ijsdem periculis huiusce generis non subiaceant magni Codices æquè ac parui.

10 Prætereà suspicari licet, quòd ille Confessarius Seruæ Dei, qui exarauit librum inscriptum = *De Vita, Operibus, & stupendis Miraculis S. Ioannæ à Cruce &c.* nupèr exhibitum prò Originali, illum verè transcripserit saltèm in substantialibus ab asserto Originali descripto à Sorore Maria Euangelista, itaùt attento hoc exemplari, quod habebatur, minor deindè fuerit sollicitudo conseruandi Originale: At verò cùm liber sermonum propter eius multo maiorem molem nonnisi maximo temporis impendio posset transcribi, hìnc merito censendum est, quod de ipso Originali asseruando maxima sempèr cura habita fuerit. Vndè si procedatur cum supposito hoc admodùm probabili, quod liber hodiè exhibitus de Vita Seruæ Dei fuerit exemplatus ab illo, quem originalitèr scripserat Soror Maria Euangelista, nemo non videt, quod diuersitas Caractherum, quibus isti Codices sunt exarati, non excludit, quìn saltèm liber sermonum sit ille Originalis, de quo meminit memoratus Pater Nauarrus.

11 Secunda ratio, quam afferunt Postulatores ad probandum, quod neque liber sermonum sit Originalis, desumitur ex asserta magna inuerisimilitudine, quod Soror Maria Euangelista eum valuerit describere Caracthere adeò exacto, qualis est iste, qui vulgò diceretur efformatus *à stampatella*.

12 Attamèn neque ratio ista videtur attendenda; Si enìm Postulatores contendunt, Sororem Mariam Euangelistam supernaturalitèr acquisiuisse peritiam scribendi, nìl mirum, quod exactus adeò, ac benè efformatus fuerit eius Caracther, quemadmodùm benè ponderat dictus Pater Nauarrus in memorata particula suæ Historiæ *dicto Summario pag.60. num.8.*, ibi = *Costa dalla medesima forma della lettera essere stata vna mano, che gli scrisse; Perchè, ancorchè sia antica, è molto chiara, e leggibile, ed in ambedue hà proceduto la detta Religiosa con tanta esattezza, che hà fatto vedere di auerla Iddio miracolosamente eletta per questo seruizio* = Itaùt immo ex hoc ipso, quod Codex hodiè exhibitus appareat scriptus Caracthere adeò benè efformato, planè comperiatur, eum esse adamussim eumdem Codicem, quem tanquàm Originalem recognouit Pater Nauarrus.

13 Tertia ratio Postulatorum constituitur in prætensa non antiquitate Caractherum, quibus ambo Codices controuersi constare asseruntur. At verò si sermo habeatur de Libro Vitæ Seruæ Dei, vltrò admitti potest, eius Caractherem non esse valdè antiquum, ac proptereà non contendo, quod ille sit Authographus à Maria Euangelista conscriptus: Secùs autèm dicendum est de libro sermonum; quisquis enìm illum viderit, vtique fatebitur eius antiquitatem duo planè Secula excedere, tùm ex ipso Caractheris specimine, tùm ex vetustate manifesta papyri, atramenti, totiusque tandemmet Codicis, cuius non pauca folia passim occurrunt diuturni temporis, ac tinearum edacitate corrosa, quemadmodùm multo meliùs, quàm verbis exprimi possit, ex ipsamet eius oculari inspectione constabit; Vndè nìl magìs alienum à veritate videri potest, quàm prætendere, quod iste liber sermonum non sit ille Originalis, de quo meminit Nauarrus, quià non sit antiquus, cùm immo habeat totam apparentiam antiquitatis apprimè correspondentem descriptioni, quam de illo peregit memoratus Author.

Col-

14 Collabescentibus itaque rationibus per Postulatores adductis, quibus conantur suadere, quod controuersus liber sermonum non sit reputandus Originalis, iàm statìm quisque intelligit, nouam defensionis methodum à Postulatoribus hodiè amplexam, vt euitent illius examen, quin veriùs vt declinent censuram iàm peractam supèr dicto libro, non esse exaudiendam.

15 Et sanè absonum videtur, hunc librum, quem hactenùs Postulatores vti Originalem recognouerunt, quemque vtì talem maxima sempèr in veneratione à Monialibus habitum fuisse testantur Nauarrus, & Daza *Summario pag.60. & 61. num.8. & 9.*, nùnc ob solam opportunitatem declinandi validissimas censuras eidem libro factas impedientes progressum istius Causæ, tanquàm apocriphum velle respuere; Licèt enim admittatur, quod vbi constat de errore, propria confessio incautè, & oscitantèr emissa præiudicare non debeat, prò eiusmodi tamèn effectu plenè, & concludentissimè de prætenso errore docendum est ad litteralem *Text. in leg. Cum de indebito 25. in fine ff. de probat.*, & latè tradit *Rot. coràm Duran. decis. 387. n. 11. & plur. sequen.*

16 Hìnc patet, huic hypothesi applicari non posse exempla Causarum S. Iacobi de Marchia, & B. Ioannis Cantij à Postulatoribus adducta; In ijs enim Causis penè ad euidentiam demonstratum est, quod Opera, quorum Authores olìm crediti fuerant præfati Viri, non potuerant ab illis conscribi, vtì perpendendo, ac insimùl combinando tempora, loca, pluresque alias circumstantias abundè patuit. In casu autèm nostro nihil planè adducitur, quod satìs suadere possit, librum illum sermonum ampridèm Sacræ Congregationi exhibitum non esse illum ipsum continentem sermones, quos tanquàm ab ore Seruæ Dei exceptos Maria Euangelista perscripsit, vt suprà ostendimus.

17 Prætereà difficiliùs etiàm audiendi sunt Postulatores in eorum hodierna prætensione reijciendi tanquàm apocriphum præfatum librum, quià non solùm ità alias, vt hodiè loquuntur, minimè loquuti sunt, sed immo sustinentes, eum reuerà continere sermones dictatos à Serua Dei, acritèr conati fuerunt ostendere, quod nihil in ijsdem sermonibus haberetur censura dignum, vt apparet ex longa, & valdè elaborata scriptura dudùm confecta à P. Iosepho Coppons tùnc Procuratore Generali in Curia Romana Ordinis Minorum Sancti Francisci, quà, inutilitèr tamèn, diluere sategit omnes notas à laudatis Censoribus Cardinali Bona, & P. Exparza in eumdem librum factas. Vndè cùm Postulatores ex quo irritos viderunt præteritos suos conatus, aliam nùnc tentent viam omninò aduersantem primæ prò assequendis eorum optatis, negari certè non potest, quin recens iste conatus multis reddatur suspicionibus obnoxius, proptereàque difficillimè exaudiendus.

18 Et quidèm ipsimet Postulatores optimè agnoscunt, arduam nimis esse prouinciam, quam assumpserunt, sustinendi, quod liber sermonum Sacræ huic Congregationi dudùm exhibitus non sit illemet Codex tùm à Nauarro, tùm à Daza, tùm demùm à Monialibus, omnibusque earum Religiosis Directoribus, constanti traditione sempèr prò Originali habitus, proindèque eò tandèm se conuertunt, vt admittentes hunc esse librum authographum à Maria

Euan-

Euangelista exaratum iuxtà opinionem memoratorum Dazæ,& Nauarri, adhùc prætendant, eum non esse comprehensum sub dispositione Decretorum Generalium in sæpèdicto §. *Prætereà*, ex quo sermones isti non fuerunt scripti à præfata Moniali Maria Euangelista in actu, quo illos dictaret Serua Dei, sed post temporis interuallum memoritèr, nempè retinendo ea, quæ dicta Serua Dei suis in raptibus prædícabat; vndè merito asseri valeat, controuersos sermones, vtpotè neque scriptos, neque absolutè dictatos ab eadem Serua Dei, subiectos non esse prefatæ legi Decretorum Generalium, quià facillimè Soror Maria Euangelista iuxtà communem naturæ humanæ imbecillitatem plura etiàm nolens in ijs potuerit inserere longè aliena à spiritu, & mente Ancillæ Dei.

19 Verumtamen pro congrua responsione ad hoc Postulatorum subterfugium satìs esse posset in memoriam reuocare, quod aliàs hoc ipsum fuit à Postulatoribus Sacræ Congregationi expositum, quin tamen meruerint vnquàm ex hoc motiuo obtinere petitum progressum ad vlteriora, vt memini in mea Relatione super statu Causæ *pag*.14. §. *Respectu tamen*, *&* *sequen.* Vndè incongruum planè videri potest sub pallio nouarum rationum easdem alias reiectas iterùm refricare.

20 Sed vt justitia præteritæ resolutionis magìs, magìsque elucescat, præstat iterùm reminisci, quòd Sermones, de quibus agitur, semper habiti sunt tamquàm constantes ijsmet verbis, quæ Serua Dei proferebat, vt concorditer asseruerunt memorati Authores Daza, & Nauarrus; Tantumque abest, vt aliqua suspicio vnquàm invaserit, ne Maria Euangelista quidquam alienum à mente Seruæ Dei fortassè inseruerit in Sermonibus per ipsam scriptis, vt immò ad excludendam quamlibet huius suspicionis vmbram, à præfatis Authoribus affirmetur, supremo Dei imperio, atque præsidio Mariam Euangelistam huic ministerio fuisse addictam, quin etiam, vt indicaretur Sermones scriptos à Maria Euangelista esse illosmet conceptos ab Ancilla Dei, laudatus P. Daza in eius Vita impressa in Ciuitate Illerdensi anno 1613. *pag. mihi* 184. vtitur hac phrase = *Ella* (nempè Serua Dei) *comenzò a escriuir por mano de otra Religiosa llamada Sor Maria Euangelista* = qua planè locutionis forma luculenter ostenditur, Sermones præfatos nonnisi Servæ Dei tribuendos esse.

21 Et porrò constanti opinioni prefatorum Authorum correspondet maxima veneratio non controuersa, qua semper habitus fuit Codex, de quo agitur, non alio planè nomine, nisi quia contineret ipsosmet Sermones à Serua Dei prolatos: Vndè etiam Wadingus *in Annal. minor. tom.8. col.586. num.61.* refert, Sororem Mariam Euangelistam non fuisse nisi *Scribam* electam ad scribendum ea, quæ Serua Dei pronunciabat, quod quidèm munus perfecit, vt ibidem ait dictus Author, *adeò disertè*, *&* *discrete*, *vt suprà humanum excellentius habuisse adiutorium colligatur*. Et Fr. Ioannes de S. Didaco Villalon in compendio Vitæ huius Seruæ Dei impresso in Vrbe anno 1664. hæc habet *pag.12.* = *Mirabiliter omnes* (*nempè sermones, de quibus agitur*) *excepit calamo Maria Euangelista illius Monasterij Alumna*, *cuì hæc gratia à Domino concessa est*, *vt* disertè, *&* integrè *scriberet post concionem* quidquid *in illa Virgo proferebat*.

22 Pa-

22 Parùm igitur refert, quod Serua Dei Sermones illos non dictando, sed potiùs prædicando recitaret; Pro effectu enìm, de quo agitur, satìs est, quod illos quocumque modo pronunciauerit; Fortiùs verò quia eidem quoque innotescebat, eos à Sorore Maria Euangelista fore perscribendos, vtì refert Daza loco mox citato, & concordat Nauarrus in libro de Vita Seruæ Dei *lib.* 4. *cap.* 9. *pag. mihi* 580.

23 Minùsque releuat protestatio in principio eiusdem libri à Scribente præmissa, qua declarat contingere potuisse, vt in aliquo fortasse vel per calami lapsum, vel per memoriæ defectum errauerit; Eiusmodi nàmque protestatio attendi fortè mereretur, vbi res esset de paucis quibusdam æquiuocationibus, seù erroribus, qui raro offenderentur efficientes obscuram, vel etiam aliqualiter dissonam syntaxim cuiuspiam ex Sermonibus in hoc ingenti Codice descriptis: At verò ad effectum tribuendi solius Scriptricis inadvertentiæ tot erroneas, ineptas, falsas, & censurabiles expressiones, ac narrationes, quot in controuersis Sermonibus notarunt Cardinalis Bona, & P. Exparza, profectò nullius momenti est præfata protestatio. Si enìm in hisce Sermonibus *nihil solidum, & supernaturale, sed multa loquacitas, plures ineptiæ, & chimericæ narrationes, multa Muliercularum deliramenta reperiuntur*, vt ait accuratissimus Censor Cardinalis Bona, sique etiam P. Exparza leuiter tantùm perlustrata aliqua parte eorumdem Sermonum, = *quamplura passim deprehendens valdè dissona, & Spiritus Sancti directione, ac illustratione penitùs destituta, eos adeò fastidiuit*, = vt apertè professus sit, se supersedisse ab vlteriori illorum lectione, ne improbo labore inanem temporis jacturam faceret, quis quæso dixerit, ea omnia tàm malè sonantia in ijs Sermonibus irrepsisse ex sola Scribentis insufficientia, vel hallucinatione?

24 Hinc autem est, quod hypothesi non videntur applicari posse exempla à Postulatoribus adducta de ijs, quæ contigerunt Confessario B. Angelæ de Fulgineo tertio Discipulo, & Amanuensi S. Pauli Apostoli, & demùm ipsimet S. Birgittæ. Ex ijs enìm casibus infertur quidèm, aliquando accidere posse, vt ob imperfectionem Scribentis quædam magìs sublimia grossiori quodam modo exprimantur, alia non satìs concinnè, ac luculentèr exposita appareant, & alia demùm aliquali elucidatione indigeant, vt propiùs referant dictantis sententiam. Ast vbi tota, vt in casu nostro, Sermonum materies, ità dixerim, corrupta dignoscitur, haud æquum est, vt sola Scribentis imperitia causetur.

25 Rem itaque colligendo; Postulatorum assumptum in ea parte, qua contendunt librum Sermonum jampridèm huic Sacræ Congregationi exhibitum non esse illum Codicem originalem, de quo loquuntur Daza, & Nauarrus, videtur omninò insubsistens: Iste enìm Codex mihi traditus, quem apposite recognoui, correspondet adamussim descriptioni, quam de illo faciunt memorati Authores, & signanter Pater Daza in Vita Seruæ Dei impressa Mutinæ anno 1616. *pag.* 64. vbi hæc habet = *Questo libro del Compendio tiene settant'vn Sermone in altri tanti Capitoli diuisi, e scritti in settecento, e trentatre carte in foglio, il quale si guarda nel Convento, come Reliquia di grande stima &c. scrisse questa benedetta Donna trecento, e sessantacinque pieghi, che è quello, che questo libro contiene,*

*è di*

*è di carattere, tutto che il tempo, e la tignuola l'abbiano roso, e maltrattato, assai leggibile, e buono &c.* = Et deindè post recensitos titulos omnium Sermonum exactissimè respondentes ijs, qui in eodem Codice leguntur, ità concludit = *Questo è il libro di que' Sermoni di non poca autorità per la continua tradizione, con che dopo la Vita della Serua di Dio si è conseruato con ammirazione, & approuazione di tanti Prelati, Generali, e Prouinciali, che per ispaccio d'ottanta anni visitarono quel Convento. E quando la tradizione d'alcuna cosa si va continuando dopo il dì, ch'ella auuenne per vna Communità intiera, tiene autorità infinita.* = Vndè in hac parte Postulatores deberent tandèm acquiescere.

26 Quo verò ad alteram partem eorum assumpti, qua contendunt, istum Codicem licèt originalem non esse comprehensum sub dispositione Decretorum generalium ad effectum impediendi progressum ad vlteriora in Causa Seruæ Dei, cuius merita adeò magnificant. Cum idipsum aliàs ab ijs inutiliter prætensum fuerit, nec nouæ afferantur hodiè satis validæ rationes, quæ persuadere possint recessum à decisis, quin potiùs vrgeant semper eadem motiua, quæ impulerunt Sacram Congregationem ad præstandum consilium Sanctissimo pro impositione silentij; Idcircò etiam in hac altera parte non videntur vllatenùs exaudiendi.

Quæ dicta sint sub censura &c. saluo semper &c.

*Carolus Albertus Archiepiscopus Philippensis Fidei Promotor.*

14

# Toletana

## *Beatificationis, & Canonizationis*

VEN. SERVÆ DEI

# JOANNÆ DE CRVCE

## Monialis Professæ in Ven. Monasterio Sanctę Mariæ de Cruce propè Oppidum de Cubas Tertij Ordinis S. Francisci

RESPONSIO FACTI, ET IVRIS AD NOVAS ANIMADVESIONES

## *Rm̃i P. D. Fidei Promotoris*

SVPER DVBIO

*An stante non reperitione ass. operum originalium, possit ad vlteriora in causa procedi in casu &c.*

## Em̃e, & Rm̃e Domine



NVLLA vnquam in causa meliùs, quàm in præsenti verificatum credimus adagium Menandi Poetæ dicentis = *Ducit ad lucem veritates tempus* = nec non aliud simile dictum *Aull. Gell. noct. attic. cap. 12. in fin.*, nempè quod *veritas est filia temporis*, quia ex tempore prodit, vt de vtroque meminit Ioseph de Rosis *sel. obser. Iur. cap. 89. num. 4. 5., & 6.* Porrò post quam eadem causa per plura lustra commiserabilem statum subiit, ipsius interdicto ad vlteriora progressu ob censuram ass. geminorum librorum, alterius de vita, & miraculis Seruæ Dei, alterius

terius verò de 71. Sermonibus ab ipsa prædicatis, erroneè suppositorum pro originalibus scriptis à Sor. Maria Euangelista ad dictamen Seruæ *Dei*; tandem beneficio temporis eò deuenimus, vt liber vitæ, qui fuit potior, imò vnica causa interdictæ prosecutionis, hodiè adeò patenter pro non originali detectus fuerit, vt quoad istum id ingenuè fateatur ipse met Reuerendissimus Promotor in suis animaduersionibus §. 6, & 13.. Quò verò ad librum sermonum, super quo vnicè idem Reuerendissimus Promotor modò insistit, munus dumtaxat suum quàm diligenter adimpleturus, reuolutis, post eius editas animaduersiones, antiquis Processibus, tàm fortia fundamenta reperta sunt, vt ex his hodiè ferè manibus palpetur, ne eumdem quidem sermonum librum esse originalem Mariæ Euangelistæ, sicuti infrà demonstrabimus, vndè spe certà confidimus, fore rescribendum = *Posse ad vlteriora procedi* = pro vt instantissimè supplicamus.

Vtque voti compotes effici mereamur, operæ pretium est diluere sequentes animaduersiones, quas, vt diximus, pro sui muneris instituto doctissimè, & accuratè confecit Reuerendissimus Promotor.

## *Animaduersio Vnica.*

OPponit Reuerendissimus Promotor, quod Postulatores, mutata methodo defensionis, non amplius vindicare intendunt, pro„ ut olim conati sunt, controuersa opuscula à grauissimis censuris, „ quibus ea notarunt eximii viri Cardinalis Bona, & Pater Martinus „ Exparsa, sed admittendo in præsenti, quod ea pluribus possint „ scatere erroribus, toti sunt in substinendo, quod volumina, quæ „ subiecta fuerunt reuisioni præfatorum Censorum, non sint de gene„ re illorum scriptorum originalium, quæ iuxta Decretum S. M. Vr„ bani VIII §. *Præterea*, debent necessariò reuideri, antequam in „ causa procedatur.

## *Responsio.*

QVamuis primo aspectu videri possit, quod Postulatores mutauerint methodum defensionis in hac causa, nil penitus in præsenti opponendo aduersus censuras præfatorum Authorum, & solummodò substinendo, quod asserta opuscula, quæ falsò, & erronee aliquando tributa fuerunt Ven Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce, vtpotè non originalia, sed simplicia scartafaccia, comprehendi nullatenus possunt sub dispositione citati Decreti S. M. Vrbani VIII.; veritas tamen est, quod talis defensio dici nequit absolutè noua, & ab hactenus seruata omninò difformis, quippè quia ex Positionibus causæ liquidò constat, quod antiqui Postulatores eodem tempore, quo vindicare curarunt antedicta opuscula à censuris dd. Authorum, totisquoque viribus incubuerunt in comprobando, quod eadem opuscula vtpote neque scripta, neque dictata per Seruam Dei, subiecta minimè erant reuisioni demandatæ per S. M. Vrbanum VIII., prout ipse met Reuerendissimus Fidei Promotor pro eius eximia ingenuitate testari dignatus est in relatione

ne huius causæ §. *final.*, vbi exponens ea, quæ Reuerendissimus Archiepiscopus Myrensis eius Antecessor circa defensionem Postulatorum recensuerat, ait ibi = *Deindè recensendo rationes tunc temporis à Postulatoribus adductas ad probandum, quod prædicti libri non fuerint à Serua Dei conscripti, neque dictati, quæ in substantia coincidunt cum illis à moderno Postulatore allegatis.*

Idipsum pariter luculentissimè euincitur, tum ex solemni protestatione emissa à Patre Copons in responsione ad censuras datas Libro Vitæ, vbi inquit, quod non eius erat intentionis defendere librum, *cuius ignorabatur Author*, vt fusiùs habetur ex tenore eiusdem protestationis *præsenti Summ. additionali num.*1., tum etiam ex declaratione eruditissimi Patris Exparsa dicentis, quod adnotata in eorumdem librorum recognitione, pro futilibus, erroneis, & alienis à recto, & communi sensu Theologorum, & Ecclesiæ officere nequibant prosecutioni huius causæ,tamquam scripta à diuersa persona, quæ potuit errare in non benè percipiendo, & describendo audita à Serua Dei, ne quis debeat alienis erratis prægrauari, de qua mentionem facit Reuerendissimus de Rubeis in suis animaduersionibus, quarum particula datur *d. Summ. additionali num.*2.

Tum denique, & clariùs ex citatis animaduersionibus Archiepiscopi Myrensis, qui expendens assumptum tunc temporis Postulatorum, asserentium, quod neuter liber esset scriptus, vel dictatus à Serua Dei, respondet ibi = *Quid quid enim est respectu libri sermonum, quos forsan admitti posset, non fuisse integrè scriptos, & per eadem met verba, quæ fuerunt prolata ab eadem Serua Dei &c. eodem Sum. additionali num.*3.

Moderni igitur Postulatores nouam causæ defensionem non assumunt, sed deserentes primum caput defensionis antiquæ concernentis tuitionem propositionum censuratarum, cuiuscumque Personæ illæ fuerint, firmiter instituunt in altero capite respicientè negatiuam, quod volumina, de quibus agitur, fuerint scripta, vel dictata à Serua Dei; Idque iure optimo facere videntur, nam cum beneficio temporis plura repererint validissima fundamenta antiquis Postulatoribus minimè cognita, quibus manifestissimè comprobatur, quod controuersi Libri non solum non fuerunt conscripti, neque dictati per Seruam Dei, sed etiam, quod illi nequeunt esse originales Sororis Mariæ Euangelistæ,à qua ad dictamen Seruæ Dei supponebantur conscripti, superfluum, quinimò incongruum existimant, ampliùs immorari in defendendis propositionibus censuratis, cum illæ siue bonæ, siue malæ sint, vtpotè contentæ in libris ad Seruam Dei minimè pertinentibus, vlteriori Causæ prosecutioni obesse non possint.

Cæterum admisso etiam iuxtà sensum Reuerendissimi Promotoris, quod præsens Causæ defensio sit omninò noua, nequeunt ex hoc culpari Postulatores, imò laudari debent, si detecta rei veritate illam palam facere totis viribus curant, vt Ven. Ancilla Dei Ioanna de Cruce vindicata remaneat à macula illi impicta ex inconsulta defensione antiquorum Postulatorum, quorum inuoluntarium errorem in causa concernente interesse Ecclesiæ vniuersalis, in qua solà rei veritas inquirenda est, ipsi possunt, ac debent retractare per ea,quæ admonet S. *Thom.* 2. 2. *quæst.* 109. *artic.* 1., & docent *Pignattell. consult.* 42. *num.* 11. *tom.* 4., *Matt. de Canoniz. Sanct. part.*5. *cap.*16. *num.*26.

# De Examine, an ſit locus proſecutioni cauſæ, ſeu potius perſiſtentiæ in decretis pro impoſitione ſilentij aliàs demandata.

PRocedens Reuerendiſſimus Promotor cum ſenſu, quod defenſio modernorum Poſtulatorum præſeferat nouum aſſumptum, in §.2.
„ inquit, examinandum nunc eſſe, An idem aſſumptum ſatis probe-
„ tur, & an circumſtantiæ, in quibus res eſt, permittere poſſint
„ proceſſum ad vlteriora, ſiue potius ſuadeant perſiſtendum eſſe in
„ Decretis, nimirum pro eadem impoſitione ſilentij aliàs deman-
„ data.

Libenter conuenimus cum Reuerendiſſimo Promotore, quod in præſenti opus ſit examinare, an noſtrum aſſumptum ſufficienter probetur, cum dubitare non poſſimus, quod fundamenta per nos adducenda in hac reſponſione, vltra alia *in Reſtrictu Facti, & Iuris per totum* iam adducta, quamuis rigide examinata, concludentiſſimam probationem non conſtituant, quod controuerſi libri in Curia exiſtentes non ſint conſcripti, neque dictati per Seruam Dei, nec eſſe poſſint originales Sororis Mariæ Euangeliſtæ, ſed ſint ſimplicia *ſcartafaccia* ab incerto *Au*ctore confecta, adeoùt in ſpem certam erigi videamur, quod omnes circumſtantiæ, in quibus res modò verſatur, ſuaſuræ ſint remotionem demandati ſilentii, & proceſſum ad ulteriora in huiuſmodi cauſa.

## *Animaduerſio Prima.*

AGgreditur Reuerendiſſimus Promotor in §. 3. primum ex noſtris fundamentis repoſitum in eo, quod cum Sac.Congregatio
„ particularis Eminentiſſimorum Gotti Ponentis, & Bellugæ, & de Por-
„ tia, pętentibus nobis proceſſum ad vlteriora in hac cauſa, die 20.Set-
„ tembris 1729. reſcripſerit = *non poſſe procedi ad vlteriora, niſi ex-*
„ *hibeantur libri originales* = exinde inferatur, quod eadem Sac.
„ Congregatio agnouerit, Libros hactenus exhibitos, & cenſuræ
„ pręfatorum Cardinalis Bona, & Patris Exparſa ſubiectos, non
„ eſſe originales, dictumque noſtrum fundamentum impugnans, in
„ §. 4. ait = *quod hæc conſequentia non eſt abſolutè deſumenda, ex quo*
„ *Eminentiſſimi Patres ideo edidere memoratum reſcriptum, quia ſatis*
„ *perſuaſum habentes controuerſos libros originales aliquando fuiſſe in*
„ *rerum natura, & alioquin audientes effuſos Poſtulatorum clamores*
„ *firmiter aſſerentium libros ad Vrbem tranſmiſſos, prædictæque cenſu-*
„ *ræ ſubiectos, non eſſe originales, ita voluerunt ipſis indulgere, vt*
„ *denuò exactiores confici poſſent diligentiæ, an fortè inuenirentur alij co-*
„ *dices, qui veriùs dici mererentur originales* = deindeque ſubdit =
„ *quod cum ex diligentiis nouiſſimè peractis conſtiterit, nullos alios codi-*
„ *ces reperiri potuiſſe, qui reuera originales dici valeant, hinc eſt, quod*

" *hodiè etiam ad sensum prælaudati rescripti Congregationis particularis*
" *faciliùs dicendum veniat*, *codices huic Sac. Congregationi exibitos*, *&*
" *ab ipsis Postulatoribus pro originalibus habitos*, *reuera tales esse*, &
" tandem concludit = quod cum eiusmodi qualitas de nullo alio codi.
" ce sit prædicabilis, iure meritò præfatis libris censenda sit attri-
" buta.

# *Responsio*.

PRO totali huius Animaduersionis euacuatione satis, superque foret generaliter respondere, nimis inuerisimile esse, quod Sac. Congregatio mota fuerit ad ita rescribendum ob effusos Postulatorum clamores, quod libri iampridem exhibiti, & præfatæ censuræ subiecti non essent originales, cum potius dici, ac præsumi debeat, quod ipsa dictum rescriptum ediderit, ex quo ex rationibus, & documentis ab eisdem Postulatoribus adductis verè agnouerit, quod prædicti libri non erant originales: Iudices enim moueri non solent à clamoribus Partium, sed à rationum pondere, quibus eædem Partes vtuntur.

Verum ne propositas difficultates effugere videamur, & ne illationes à Reuerendissimo Promotoro factæ aliquam speciem ingerant, si sine responsione pertranseant, discussionem eiusdem animaduersionis singillatim assumimus.

Tr a continet hæc animaduersio; primum nempè, *quod ex rescripto Sac. Congregationis particularis non satis inferatur*, *quod eadem Sac. Congregatio agnouerit*, *quòd libri hactenus exhibiti non sint originales*; Secundum, *quod factis nouis diligentiis*, *&* *non repertis aliis codicibus, qui reuera originales dici valeant*, *hinc facilius etiam ad sensum prælaudati rescripti dicendum veniat*, *codices iampridem exhibitos tales esse*, & Tertium, *quod cum qualitas originalis de nullo alio codice sit prædicabilis*, *iure merito libris iam exhibitis censenda sit attributa*.

Quod attinet ad primum, licèt nobis certò perspectum esse non possit, qui, & qualis fuerit verus, & germanus sensus Sac. Congregationis particularis, adhuc si ille deduci debet, provt regulariter fit in omni materia, ex formula verborum, quibus conceptum prodiit eius rescriptum, nempè = *non posse procedi ad vlteriora*, *nisi exhibeantur libri originales* = satis apertè ex eis infertur, quod eadem Sac. Congregatio procerto habuit, libros iampridèm exhibitos non esse originales, neque pro originalibus haberi posse; verba namque illa = *nisi exhibeantur libri originales* = cum conditionem præseferant *l. in Testamento*, ibi = *nisi fierent hæredes*, *ff. de condit. Soccin. Iun. cons.* 49. *num.* 17. *in fin.*, *&* *num.* 18. *tom.* 2. *Barbos. tract. var. diction.* 217. *num.* 9., & quidem conditionem de futuro, non autem de præterito, neque de præsenti *l. Institutio talis in fin. ff. de condit. Instit. l. cum ad præsens*, *&* *l. Itaque ff. si cert. pet.*, *Galganett. de condit. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 33. Duran. de condit., *&* *mod. imposs. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. *Torr. de pact. futur. success. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 6., intelligi nequeunt de libris in Curia præsentibus, quia illi iam erant exhibiti, & quod exhibitum iam semel est, & præsens manet, ampliùs exhiberi non potest, sed de aliis alibi exi-

sten-

ſtentibus, & verè originalibus, alioquin dicendum foret, quod Sacra Congregatio feciſſet reſcriptum eluſorium, quatenus authumando, quod libri iam exhibiti eſſent originales, adhuc demandaſſet exhibitionem librorum originalium, prout ponderanti patet.

Neque ex eo, quod factis in executionem dicti reſcripti diligentijs pro reperiendis libris originalibus, ijdem non fuerint reperti, concludi valet, prout facit Reuerendiſſimus Promotor in ſecundo reflexu dictæ animaduerſionis, quod codices iampridèm exhibiti dicendi ſint originales; nam talis concluſio non videtur poſſe ſubſiſtere; quippe quia argumentum iſtud, nempè Sac. Congregatio Particularis mandauit fieri diligentias pro reperiendis libris originalibus, diligentiæ fuerunt peractæ, & libri originales non fuerunt reperti, non aliam admittere videtur conſequentiam, quàm hanc: Ergo libri originales fuerunt deperditi, cum antecedens dicti argumenti perneceſſe ſupponat, quod codices iam exhibiti non ſint originales.

Et de facto, quod hæc, & non alia deduci valeat conſequentia ex prædicto argumento, euidentiſſimè patet ex eo, quod Reuerendiſſimus Promotor in §.6. ſuarum doctiſſimarum animaduerſionum confitetur, quod ipſe poſt dictum reſcriptum Sac. Congregationis, & poſt expletas dd. nouas diligentias clara luce deprehendit, quod liber vitæ iampridèm exhibitus non ſit, nec eſſe poſſit originalis. Si itaque non obſtante, quod per nouas diligentias original dicti libri vitæ non fuerit repertum, ex confeſſis per Reuerendiſſimum Promotorem innegabiliter conſtat, quod liber eiuſdem vitæ iam exhibitus non eſt originalis, nemo profectò non videt, quod ex non repetitione originalium inferri nullatenus poteſt, quod libri iam exhibiti ſint reuera originales, ſed potius, & indubitanter, quod libri originales fuerint deperditi.

Eademque ratione collabeſcere penitus dignoſcitur tertium aſſumptum dictæ animaduerſionis, quod nempè, cum qualitas originalis de alijs codicibus non ſit prædicabilis, libris iam exhibitis attribui debeat. Cum enim ex præmiſſis appareat, quod dicta qualitas originalis optimè prædicari valeat de libris deperditis, non eſt cur illa attribui debeat libris iam exhibitis, attento præſertim quod alter eorum iam certò conſtat, quod non ſit, neque eſſe poſſit originalis.

## *Animaduerſio ſecunda.*

IN hac animaduerſione gradum facit Reuerendiſſimus Promotor ad diſcuſſionem aliarum rationum, quibus vſque adeò probare conati ſumus, quod libri dudùm exhibiti, & à præfatis Cenſoribus teuiſi reuera non ſint originales, & ſub §.6. loquens de vtroque libro, vitæ ſcilicet, & ſermonum, hæc habet = Reſpectu prioris
„ non egrè conuenio cum Poſtulatoribus, eum non poſſe iudicari
„ originalem, tum quia character, quo ſcriptus conſpicitur, non
„ exhibet illud ſpecimen antiquitatis, quam verè præſeferret, ſi origi-
„ nalis eſſet, tum quia idemmet titulus eidem libro inſcriptus deno-
„ tat, eum fuiſſe exemplatum, ſiue compoſitum, aut recollectum ab
„ Anonymo quodam ſe denominante Seruæ Dei Confeſſatio; ideoque

„ cum

„ cum non sit ille, qui iuxtà constantem traditionem etiam à Patri-
„ bus Daza, & Nauarro secutam, fuit à Sorore Maria Euangelista
„ conscriptus, in veritatis obsequium diffiteri nolo, me censere, quod
„ liber ille agens de vita Seruæ Dei non sit adeo rigidè subiectus de-
„ creto Vrbani, quemadmodum subiectum existimo alterum conti-
„ nentem sermones, de quibus agitur.

# *Responsio.*

Omisso pro nunc libro sermonum, de quo specialiter agendum erit in responsionibus ad sequentes animaduersiones, dicimus, quod non satis commendare possumus egregium animi candorem, quo Reuerendissimus Promotor, maturè prius consideratis omnibus circumstantijs, in veritatis obsequium affirmare non dubitauit, quod ipse ex oculari inspectione verè agnouit, quod liber vitæ nequeat iudicari originalis, neque prætendi subiectus decreto Vrbani; Eiusmodi quippe ingenua Reuerendissimi Promotoris confessio non solùm ostendit, quod pro manifestanda veritate, omninò oportebat, quod Postulatores mutarent methodum defensionis, sed præterea remotionem silentij huic causæ impositi pollicetur. Quandoquidem cum ex superius citatis animaduersionibus Reuerendissimi Myrensis, & de Rubeis, luculenter appareat, quod impositio silentij demandata fuerit non ob librum sermonum, quem ijdem Promotores vltrò admittebant non esse subiectum decreto Vrbani, sed vnicè ob librum vitæ Seruæ Dei, quem vtpotè scriptum, vel dictatum ab eadem Serua Dei dicto decreto Vrbani affectum firmiter asserebant, de plano sequitur, quod cum hodiè modernus Reuerendissimus Promotor ex grauissimis fundamentis nuper repertis apertè protestetur, se censere, quod liber ille agens de vita Seruæ Dei nequeat iudicari originalis, & non sit adeò rigidè subiectus decreto Vrbani, sublata penitus remaneat omnis petra scandali, ob quam impositum fuit dictum silentium, & propterea nulla ratio suadeat, quod vlteriùs huius causæ cursus remorari debeat.

Eòque faciliùs impositum ex hoc capite silentium remoueri debet, quia vltra solidissima argumenta per Reuerendissimum Promotorem in d. animaduersione recensita, quibus comprobatur, quod liber vitæ præsens in Curia non sit, neque esse possit originalis Sororis Mariæ Euangelistæ, altera, & quidem magni ponderis accedit circumstantia, quod nempè liber originalis dictæ vitæ visus à Daza erat foliorum 89. prout ipse Daza refert post suam historiam in fine sub titulo = *Le ragioni della verità &c.* §. *Item. la vita fol.*89. Hic verò Romæ existens est *foliorum* 222., veluti patet ex eius oculari inspectione, & testari poterit Reuerendissimus Promotor: Hæc enim adeò considerabilis diuersitas foliorum, quæ intercedit inter vnum, & alterum librum, manifestè demonstrat, quod iste præsens in Curia *foliorum* 222. non est, neque esse potest ille originalis liber fol.89. citatus à Daza, vt patet re ipsa.

# *Animaduersio tertia.*

ASsumit Reuerendissimus Promotor examen rationum per nos adductarum ad probandum, quod neque liber sermonum iam exhibitus, & censuræ subiectus, sit, ac esse possit originalis Sororis Mariæ Euangelistæ, & post recensitam in §.7. primam ex dd. rationibus repositam in eo, quod nempè iste codex non sit scriptus eodem charactere, quo apparet conscriptus liber vitæ Seruæ Dei, cum tamen iuxtà id, quod refert Pater Nauarrus in sua Historia de vita Seruæ Dei *tom.4. cap.9. fol.*58. vterque codex originalis à se visus vno, eodemque charactere appareret conscriptus, sub §.8.
„ inquit = quod ratio ista videtur paruipendenda ex eo, quod cum
„ hodie per ipsum admittatur, quod codex, in quo descripta est
„ vita Seruæ Dei non sit ille originalis liber; qui scriptus asseritur à
„ Sorore Maria Euangelista, quique fortasse deuenit ad manus Patris
„ Nauarri, exinde pateat, quod argumentum per nos desumptum à
„ diuersitate characteris, quo descripti apparent duo hodierni codi-
„ ces, nihil probat ad effectum excludendi, quin saltem originalis
„ sit liber continens sermones, eam adducens rationem, quod liber
„ vitæ scriptus à Sorore Maria Euangelista potuerit deperdi, post
„ quam visus fuit à Patre Nauarro, & è contra ab hoc deperditionis
„ infortunio præseruari alter liber sermonum, ita vt istemet Codex
„ continens sermones, qui hodie exhibetur, sit reuera ille origina-
„ lis liber, cuius meminit d. Pater Nauarrus in dicta eius Historia.

# *Responsio.*

RAtio diuersitatis characteris intercedentis inter vnum, & alterum codicem per nos allegata non videtur paruipendenda, sed imò magni facienda; Cum enim Reuerendissimi pro tempore Promotores substinerent, quod codices exhibiti, essent illi met codices originales scripti à Sorore Maria Euangelista, visi, & citati à Patre Nauarro in eius Historia, nullum sanè magis efficax argumentum adducere poteramus in contrarium, quàm ostendere, & comprobare, quod codices originales visi, & citati à Patre Nauarro, vno, eodemque charactere erant conscripti, & quod ab opposito codices in Vrbe præsentes diuersi omninò characteris existerent; Talis quippe characteris difformitas, qua descripti apparent codices, qui in Curia adsunt, ad euidentiam vsque demonstrat, quod ij nequeunt esse illi codices originales vno, eodemque charactere conscripti, quos in manibus habuit Pater Nauarrus.

Haud officiente reflexione Reuerendissimi Promotoris, quod argumentum desumptum à diuersitate characteris nihil probet ad effectum excludendi, quin saltem originalis sit liber continens sermones, ex quo liber originalis vitæ Seruæ Dei potuerit deperdi, postquam visus fuit à Patre Nauarro, & ab hoc deperditionis infortunio præseruari alter liber sermonum; Etenim, vltra quod discursus iste, vtporè innixus simplici possibilitati, nullum prorsùs habere nescitur fundamentum, cum in re adeo graui, in qua agitur de

maxi-

maximo præindicio, & de inurenda macula plurium errorum Ven. Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce insigni sanctitatis fama per totam Hispaniam gaudenti, attendi non debeat sola possibilitas, sed requirantur certæ, & concludentes probationes, vt in terminis monet *Grat. discept. foren. discept.*889. *num.*26., & decidit Rot. *in Romana fideicommissi de Vecchis* 16. *Ianuarij* 1615. §. *final. coram Pirouano*, & in Rossanen donationis, & dotis 27. *Nouembris* 1730. §. *Altera coram R. P. D. Nunez*. Quælibet tandem difficultas submoueri videtur ex eo, quod constito iam, quod libri Romæ existentes non sunt vno, eodemque charactere conscripti, prout esse deberent, si forent originales, & nulla concurrat certa demonstratio, quod liber sermonum sit verè originalis, imò ex grauissimis fundamentis inferiùs recensendis appareat, quod idem liber nequeat esse originalis, neuter eorum pro originali haberi potest, sed vtrumque eodem deperditionis infortunio subiectum extitisse censeri debet.

## *Animaduersio quarta.*

PRo confirmanda probabilitate deperditionis libri originalis vitæ Seruæ Dei, & assertæ respectiuæ præseruationis alterius continentis sermones, aduertit Reuerendissimus Promotor in §. 9., ,, quod liber vitæ, vtpote molis exiguæ facillimè potuit esse subie- ,, ctus infortunio iacturæ, è contra verò alter continens sermones, ,, cum constituat volumen ingens, & farraginosum, multò facilius va- ,, luit custodiri.

## *Responsio.*

QVamuis liber sermonum non sit illius molis exiguæ, quam habet liber vitæ, adhuc ex eius oculari inspectione dignoscitur, quod non est adeo ingens, & farraginosus, vt ipse quoque eodem deperditionis infortunio facillimè subijci non potuerit; Ideoque reflexio deducta à maiori, & respectiuè minori magnitudine vnius, & alterius libri, quæ tamen talis non est, vt impossibilem, vel saltem nimis difficilem reddat deperditionem vtriusque, nullatenus concludit, quod alter eorum fuerit à deperditione præseruatus.

## *Animaduersio quinta.*

INsistens Reuerendissimus Promotor in eo, quod ex diuersitate characteris non excludatur, quin liber sermonum sit originalis, in §. 10. ,, ait = quod suspicari licet, quod ille Confessarius, qui exarauit li- ,, brum inscriptum = *De vita, operibus, & stupendis miraculis S. Ioannæ* ,, *à Cruce* =, illum verè transcripserit saltem in substantialibus ab as- ,, serto originali descripto à Sorore Maria Euangelista, itaut attento ,, hoc exemplari, quod habebatur, minor deinde fuerit sollicitudo ,, conseruandi originale, at verò cum liber sermonum propter eius ,, multò maiorem molem nonnisi maximo temporis impendio posset ,, transcribi, hinc meritò censendum sit, quod de ipso originali as-

 ,, ser-

„ seruando maxima semper curâ habita fuerit, ex quo infert, quod
„ procedendo cum supposito hoc admodum probabili, diuersitas
„ characterum, quibus isti codices sunt exarati, non excludat,
„ quin saltem liber sermonum sit ille originalis, de quo meminit Pater
„ Nauarrus.

# *Responsio*.

VNdè desumpserit Reuerendissimus Promotor hanc suspicionem, quod assertus Anonimus Confessarius, saltem in substantialibus transcripserit librum vitæ Seruæ Dei à suo originali, nos penitus ignoramus; Ille enim in tota animaduersione nullam allegat facti circumstantiam tale quid vel à longe indigitantem, sed solùm affirmat, quod suppositum istud sit valdè probabile, ideoque pro eius omnimoda diluitione sufficere videtur superiùs data responsio, quod in re adeo graui, prout est præsens, procedi nequit cum sola probabilitate.

Verum quidquid sit de hoc supposito, nemo certè sibi vnquam suadere poterit id, quod insinuare contendit Reuerendissimus Promotor, quod nempè attento asserto exemplari ab originali in substantialibus transcripto, quod habebatur, minor deindè fuerit sollicitudo conseruandi ipsum originale; Cum enim idem original iuxta constantem traditionem ad dictamen Seruæ Dei esset miraculosè conscriptum à Sorore Maria Euangelista, quæ ad hunc effectum supernaturaliter scribendi peritiam acquisiuerat; omnis verisimilitudo, & probabilitas impellit ad credendum, quod magna semper habita fuerit cura, & sollicitudo conseruandi dictum original, potiùs quàm eius exemplar ab incerto Auctore confectum.

Atque hinc penitùs insubsistens reddi videtur alterum ratiocinium Reuerendissimi Promotoris, quod nimirum, cùm liber sermonum propter eius multo maiorem molem nonnisi maximo temporis impendio posset transcribi, hinc merito censendum sit, quod de ipso originali asseruando maxima semper cura habita fuerit; Etenim si pro asseruando originali libri sermonum censeri debet, quod maxima semper habita fuerit cura ob difficultatem illius transcriptionis, per quam maxima etiam existimandum est, quod adhibita extiterit sollicitudo pro conseruando originali alterius libri vitæ propter eius eximias qualitates, scriptionis scilicet miraculosæ sororis Mariæ Euangelistæ, & dictaturæ ipsius met Seruæ Dei, ideoque sicuti non obstante ingenti cura, qua fuit custoditus liber originalis dictæ vitæ, adhuc ille deperditionis infortunio subiectus remansit, ita dicendum est, quod idem iacturæ infortunium subiuerit alter liber originalis continens sermones, quamuis iste quoque æquali diligentia conseruaretur.

Cœterum si cum suspicionibus, & probabilibus suppositis hac in re procedi vellet, non alia certè suspicio fieri posset, quàm ea, quod scilicet cum vterque liber originalis tam vitæ, quàm sermonum per plures manus pertransiuerit, aliquis inimicus homo ad obtenebrandam excellentem sanctitatis famam, qua vndique decorata reperiebatur Ven. Ancilla Dei, eosdem originales occultauerit, & in eorum locum subrogauerit libros, de quibus agitur, assertis

erroribus refertos, quos deindè Moniales ex imperitia, & oscitantia pro ipsis originalibus habuerint; Talis namque suspicio videtur magis probabilis eà, quam adducit Reuerendissimus Promotor; quippe quia sicuti certò constat, quod quidam Anonimus subripuit librum originalem vitæ, & in eius locum substituit alterum librum pluribus erroribus scatentem, ita fundatissimè suspicari licet, quod idem Anonimus, vel alter ei similis originalem quoque librum sermonum subripuerit, & pro eo alium exhibuerit ab ipso originali penitus diuersum.

# *Animaduersio sexta.*

EXpendens Reuerendissimus Promotor secundam rationem per nos desumptam ex magna inuerisimilitudine, quod Soror Maria Euangelista librum sermonum valuerit describere charactere adeo exacto, qualis est iste, qui vulgò diceretur efformatus = *à stampatella*,
„ sub §. 12. opponit = illam non esse attendendam, ex eo quod, cum
„ nos contendamus, quod dicta Monialis supernaturaliter acquisiuerit
„ peritiam scribendi, mirum non sit, quod exactus adeò, & bene
„ efformatus fuerit eius character, ita vt imò ex hoc ipso, quod Co-
„ dex eorumdem sermonum hodie exhibitus appareat scriptus chara-
„ ctere adeò benè efformato, planè comperiatur, eum esse adamus-
„ sim eumdem codicem, quem tamquam originalem recognouit Pa-
„ ter Nauarrus.

# *Responsio.*

SI liber sermonum, de quo agitur, quatenus assereretur naturaliter scriptus à Sorore Maria Euangelista, etiam iuxtà sensum Reuerendissimi Promotoris, haberi non posset pro originali ob magnam inverisimilitudinem, quod eadem Monialis naturaliter tam exactè, & charactere adeò benè efformato illum conscribere valuerit, multò magis idem liber reputari non debet originalis, sub obtentu, quod ipsa Monialis pro eo exarando supernaturaliter acquisiuerit peritiam scribendi, cuius antea fuerat penitus ignara; Quandoquidem quoties admittitur, quod liber originalis dd. sermonum modo miraculoso, ac opera diuina, & supernaturali descriptus extiterit, admitti quoque pernecesse debet, quod liber hic Romæ existens tot assertis grauissimis erroribus conspersus, esse nequeat liber ille originalis à Sorore Maria Euangelista miraculosè, ac supernaturali adiutorio confectus; Deus enim optimus maximus, iuxta communem Theologorum, & SS. Patrum sententiam, neque per se, neque per creaturam vlla facit, aut facere potest miracula, quibus confirmentur errores, falsa Fides, & falsa doctrina, vt bene docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 178. *artic.* 2. *ad* 3., & tradunt Salmatic. *tom.* 7. *tract.* 17. *de Fid. disp.* 2. *dub.* 3. *per tot.*, & Martin. del Rio *disquisit. Magic. lib.* 2. *quæst.* 7. *pag. mihi* 104. *versic. quia non potest*, ibi = *Quia non potest Deus ad falsæ Fidei confirmationem per vllum operari miracula* = cum finis, ob quem Deus operatur miracula, alius esse non possit, quàm ille ostendendi, vel confirmandi veritatem Fidei prædi-

catæ, vt aduertit Card. de Laur. *de mirac.disput.20.artic.8.num.148.* ibi = *Dico secundò, vnus finis secundarius, ordinatus tamen ad primum, ob quem Deus per se immdiatè, vel per Angelos, aut per homines facit miracula, est ad ostendendam veritatem Fidei, aut morum, seu eam confirmandam* =

Eiusmodique SS. Patrum, & Theologorum sententiam eò certiùs locum sibi vindicat in præsenti hypothesi, in qua non agitur de simplici scribendi peritia supernaturaliter elargita ei, qui antea nesciebat scribere, vt quæcumque vellet, scribere posset, quo casu intraret quæstio, de qua latè disseruimus in nostro restrictu §. *Absque eo quod*, vtrum scilicet Deus vltra materialem scribendi artem eidem infusam, teneretur ad continuationem miraculi, regendo eius calamum, illumque illuminando, ne aliquid scriberet, quod veritati, ac solidæ virtuti, puritatique Fidei aduersaretur, sed res est de rudi Moniali, quæ iuxtà Historiam Patris Nauarri, à qua desumit obiectum Reuerendissimus Promotor, fuit à Deo vnicè, & præcisè electa ad conscribendos, & registrandos sermones Ven. Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce, & pro huiusmodi effectu eidem tributa supernaturaliter extitit scribendi peritia, quam antea non habebat, ibi = *Costa dalla medesima lettera esser stata vna mano, che gli scrisse, perche ancorche sia antica, è molto chiara, e legibile, ed in ambedue hà proceduto la detta Religiosa con tanta esattezza, che hà fatto vedere d'auerla Iddio MIRACOLOSAMENTE ELETTA PER QVESTO SERVIZIO* = In his enim terminis, sicuti certum est, quod Deus, qui opere miraculoso supernaturalis infusionis artis scribendi elegit Sororem Mariam Euangelistam ad conficiendum hoc opus, debuit eius calamum regere, eamque illuminare, vt eosdem sermones describeret cum ea Fidei puritate, ac cum illa sana doctrina, qua prædicabantur à Serua Dei, ità in discrimen reuocari non valet, quin liber exhibitus, tot tantisque prætensis erroribus refertus, non sit, neque esse possit liber originalis ab ipsa Sorore Maria Euangelista descriptus; cum attento diuino, & supernaturali instinctu, quo ipsa mota, & adiuta opus prædictum confecit, credi non possit, quod Serua Dei prædictos errores, & ineptias prædicauerit, quodque dicta Monialis eosdem errores conscripserit. Is enim, qui diuino instinctu agit, impossibile est, quod falsum, & erroneum dicat, aut scribat, quoniam diuinus instinctus non potest esse principium erroris, & falsi, vt totidem ferè verbis admonet Caietan. *in quæst.171. artic.5. 2.2. S. Thom.* = *& Deus, qui veritas est, & veritatis Auctor, falsum, & erroneum non diligit, ac adulterum est apud illum omne, quod fingitur* = vt egregiè ponderat Tertull. *de spectac. cap.5.*

Absque eo quod subsistere valeat id, quod innuere videtur Reuerendissimus Promotor, quod nempè peritia scribendi supernaturaliter impertita Sorori Mariæ Euangelistę non alium produxerit effectum, quàm illum, quod ipsa librum sermonum exactè, & charactere benè efformato descripserit; Credi namque non potest, quod Deus, qui nihil frustra agit, patrare voluerit hoc insigne miraculum pro sola materialitate exactæ scriptionis, & benè efformati characteris, ex quibus non solum nulla Fidelibus vtilitas, nullaque veræ Fidei confirmatio sequeretur, sed imò ob assertos grauissimos errores maximum Fidei detrimentum, & Fidelium præiudicium

emer-

emergeret; miracula siquidem, quæ sunt à Deo, illud essentialiter habent, quod non consistant in sola materialitate rei, sed pernecesse operentur vtilitatem Fidelium, & confirmationem veræ Fidei, prout fundatissimè probat S. Thom. 2.2. *quæst.* 178. *artic.* 2. ibi = *Sed vera miracula non possunt fieri, nisi virtute diuina; operatur enim Deus ad hominum vtilitatem, & hoc dupliciter; vno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio modo demonstrationem sanctitatis alicuius, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis* =, & id ipsum confirmat *in* 3. *sent. dist.* 7. *quæst.* 2. *artic.* 1. S. August. apud *Fabr. in* 1. *sent. disp.* 1. *n.* 22. *versic. præterea lata est*, & Bondon. *de mirac. medit.* 2. *num.* 7.

Nilque propterea facit, quod liber originalis dd. sermonum, quem vidit Pater Nauarrus, conscriptus existeret charactere exacto, & benè efformato, prout descriptus apparet liber hic iam exhibitus; Etenim constito ex præmissis, quod liber originalis, vtpotè miraculosè exaratus continere non posset assertos errores, quibus insimulatur liber iam exhibitus; nemo sanè affirmabit, quod ex eo solùm, quod idem liber iam exhibitus sit exactè, & bono charactere efformatus, proùt erat liber, quem recognouit d. Pater Nauarrus, reputari debeat, quod sit ille liber originalis, quem descripsit Soror Maria Euangelista, sed ab opposito in eam quisque facilè abibit sententiam, quod exactus, & benè efformotus character, quo inscriptus inspicitur liber exhibitus, fuerit artificiosè, & studiosè confectus, ad hoc vt ipse haberi posset pro originali.

## *Animaduersio septima.*

DEscendit Reuerendissimus Promotor in §. 13. ad tertiam ex nostris rationibus, repositam (vt ipse asserit) in non antiquitate characterum, quibus ambo codices controuersi constare apparent, illamque admittens quoad librum vitæ, quem explicitè confitetur esse characteris non valdè antiqui „ mordicùs impugnat
„ quoad librum sermonum tum ex specimine characteris, tum ex
„ vetustate papyri, & atramenti, tum etiam ex quo non pauca eius-
„ dem libri folia passim occurrunt diuturni temporis, & tinearum
„ edacitate corrosa, ex quibus omnibus concludit, quod eius anti-
„ quitas duo planè sęcula excedere videatur, & apprimè correspon-
„ dere descriptioni antiquitatis, quam de libro originali eorumdem
„ sermonum peregit Pater Nauarrus.

## *Responsio.*

PRo magis, magisque demoustrando, quod libri iam exhibiti esse non poterant originales Sororis Mariæ Euangelistæ, deduximus etiam in nostro restrictu §. 26., quod character, quo apparebant descripti, non erat eius antiquitatis, qualis esse debuisset, si fuissent originales, sed diuersimodè locuti fuimus de libro vitæ, ac de libro sermonum. Quoad librum vitæ asseruimus, illum esse scriptum charactere moderno, & verum diximus, quia ipsamet ocularis eiusdem characteris inspectio id manifestè demonstrat, pro-

prout admittit, & confitetur Reuerendissimus Fidei Promotor. Quò verò ad librum sermonum affirmauimus, quod character = *à stampatella* =, quo ille confectus dignoscitur, dici non poterat antiquus, & talis assertio innegabilis euadit; nam cum character antiquus valdè legibilis, de quo loquitur P. Nauarrus, iuxta acceptionem Hyspanicam intelligi nequeat de charactere = *à stampatella* =, sed de alio charactere bene concatenato, & bene efformato iuxta communiorem vsum characterum tunc temporis in Hyspaniis magis receptum, prout constat ex subscriptionibus S.Theresiæ, & aliarum Sanctarum illius sęculi Regni Hyspaniarum, quæ licet confectæ appareant charactere valde legibili, & benè efformato, idem tamen character non est = *à stampatella* =, sed solùm benè concatenatus, hinc indubitanter descendit, quod character = *à stampatella* =, quo conscriptus inspicitur liber dd.sermonum iam exhibitus, quamuis non videatur modernus, censeri tamen nequit antiquus ea antiquitate, quæ necessariò requireretur ad hoc, vt tutò diiudicari posset, quod sit illemet originalis liber sermonum, quem descripsit dicta Soror Maria Euangelista.

Nullatenùs officiente, quod sępèdictus liber sermonum iam exhibitus ob vetustatem atramenti, & papyri, & ob non pauca eius folia diuturni temporis, ac tinearum edacitate corrosa, habeat totam apparentiam antiquitatis; etenim nos non contendimus, quod d. liber exhibitus non sit antiquus, sed firmiter substinemus, quod cum scriptus existat charactere = *à stampatella* = ex suprà deductis planè comperiatur, quod esse nequeat liber originalis à præfata Sorore Maria Euangelista exaratus.

Ex his igitur patet, rationes per nos in nostro restrictu deductas omnimodam habere firmitatem, atque subsistentiam, neque in minimò vacillare ex ijs, quæ aduersus illas doctissimè more suo opposuit Reuerendissimus Fidei Promotor, verum vt in statu euidentiæ reponatur, quod liber sermonum iam exhibitus, ad quem tota hodie restringitur controuersia, non sit, neque esse possit liber originalis à Sorore Maria Euangelista conscriptus, dignentur Eminentissimi PP. seriò ponderare sequentia fundamenta à nobis, Deo dante, nuper reperta, ex quibus eiusmodi veritas mirè elucescit.

Primum fundamentum, & quidem solidissimum, elicitur ex eo, quod Pater Daza in sua Historia *pag.63.* affirmat, quod Ven. Serua Dei Ioanna de Cruce in suis raptibus prædicare incepit anno ætatis suæ 24., scilicet anno Domini 1505., cum ipsa nata esset anno 1481., vt liquet ex eodem Daza *cap.2. pag.5.*: narrat insuper dictus Auctor, quod Serua Dei in eadem gratia prædicationis per triennium continuauit, & quod sermones, quos ipsa prædicauit, in ipso vltimo anno prædicationis, & non in alio descripsit Soror Maria Euangelista, & proùt fusius habetur ex accurata lectura eius Historiæ *d. præsenti Summ. additionali num.4.*

Porrò ex hac historica narratione Patris Dazæ duo indubitanter descendunt, primum quod si Serua Dei incępit prædicare de anno 1505., & perdurauit per tres annos, eius prædicatio cessare necessario debuit de anno 1507., vel sub die 3 Maij 1508., quatenùs præsumi velit, quod eius prædicatio incęperit post iam comple-

tum

tum eius ætatis annum 24. nempè à die 3. Maij 1505.; secundum verò quod Soror Maria Euangelista, quæ scripsit in vltimo anno dictæ prædicationis, suum librum expleuisse dicenda sit vel de anno 1507., vel per totam diem 3. Maij 1508.; cum autem liber iam exhibitus appareat ex sua data scriptus, & exaratus de anno 1509. vt testari dignabitur Reuerendissimus Promotor, nemo non videt, quod non est, neque esse potest ille liber originalis, quem de anno 1507. vel 1508. ex irrefragabili testimonio Patris Dazæ descripsit Soror Maria Euangelista.

Alterum fundamentum in eo residet, quod cum in Processibus authoritate Apostolica constructis examinati fuerint plures Testes, qui vnanimi consensu, & nemine penitùs contradicente deposuerint, quod Serua Dei prædicauerit non per spatium triennij (vt habetur in historia Dazæ), sed per spatium tredecim annorum, quodque Soror Maria Euangelista scripserit eius sermones in vltimo prædicationis anno, *dicto Summario additionali num.5.*, de plano sequitur, quod ijdem sermones, qui ab anno 1505. continuati fuerunt per tredecim annos, nempè vsque ad annum 1518. non possint esse illi sermones, qui registrati apparent in controuerso libro iam exhibito, ex ea satis euidenti ratione, quod si sermones prædicati à Serua Dei descripti fuerunt per Mariam Euangelistam de anno 1518., qui fuit vltimus annus prædicationis, certè & indubitanter esse non possunt illi, qui transcripti leguntur in eodem libro iam exhibito per nouem ante annos, nempè de anno 1509. compilato.

Tertium tandem fundamentum omnium præstantissimum, quo confirmata mirabiliter remanent alia superius adducta, illud est, quod sæpedictus Daza in vita Seruæ Dei *impressa Mutinæ fol.63.* narrat, quod Carolus V. Imperator audiuit Seruam Dei prædicantem, vt videre est *præsenti Summario additionali num.6.*, & id ipsum testantur Testes in Processibus Apostolicis examinati, *eodem Summario d. num.5.*; at verò quia hoc succedere non potuit de annis 1505., 1506., & 1507. cum tunc Carolus V. vtpotè natus ex communi omnium Historicorum dicto die 24. Februarij anni 1500.; ætatem ageret annorum quinque, sex, & respectiuè septem, & à Flandria, vbi ortum duxit, in Hyspaniam sese non contulerit nisi de mense Septembris anni 1517. veluti habetur *ex Alphonso Vlloa in eiusdem Imperatoris vita pag.7., & 62.*, & confirmatur *à Ludouico Dulci in eadem vita*, necnon in historia *Farcagnotta tom.4. pag.60.* ac etiam traditur ab A.C. *Henrico in Genealogia Austriaca*, & à *Gregorio Leti in Historia Imperatoris Caroli V.*; hinc clarum, perspicuumque redditur, quod idem Carolus V. Seruam Dei prædicantem audiuerit vel in fine anni 1517., vel in anno 1518., quodque Soror Maria Euangelista, quæ juxta concordem relationem Dazæ, & depositiones Testium scripsit in vltimo anno dictæ prædicationis, non nisi de anno 1518. scribere potuerit.

Quæ quidem facti circumstantia, ex cronologia temporis deducta, concludentissimè probat, quod liber sermonum iam exhibitus, vtpotè de anno 1509. exaratus, nequeat vllo pacto esse liber ille originalis, quem post nouem annos, de anno scilicet 1518. conscripsit Soror Maria Euangelista.

Absque eo quod officere valeat, quod idem Daza affirmet, quod

Ser-

Serua Dei prædicationem inceperit anno suæ ætatis 24. nempè de anno 1505., eamque continuauerit per triennium; nam hæc non fuit assertio Dazæ, sed error Typographi, qui loco abacalis numeri 13. in originali appositi, scripsit solum numerum 3. ommisso ex incuria numero 1. Idque clarissimè euincitur tum ex eo, quod error in anno Domini facilè contingibilis est, & ideò satis probabilis, veluti firmat *Rot. in decis. 135. num. 15. iuncto Thomate par. 2. diuers., & in Barchinonen. Beneficij 5. Decembris 1729. §. Prout etiam coram R. P. D. Crescentio*; tum etiam ex eo, quod cum d. Daza retulerit, quod Carolus V. audiuerit Seruam Dei prædicantem, satis apertè declarauit, quod Serua Dei suas conciones continuauit per tredecim annos, cum ab anno 1505. quo ipsa prædicare incæpit vsque ad annum 1518. quo illam audiuit Carolus V. non tres anni tantum, sed tredecim elapsi dignoscantur, vndè error Typographi videtur euidens, & manifestus.

## *Animaduersio octaua.*

EXistimans Reuerendissimus Promotor, quod ex ijs, quæ ipse obijcit, labefactatæ remaneant rationes per nos adductæ, in §. 14. inquit = nouam defensionis methodum hodie amplexam, vt euitaremus examen controuersi libri exhibiti, quin verius, vt declinaremus censuram iam super eo peractam, non esse exaudiendam.

## *Responsio.*

EA, quæ deduximus in restrictu, nec non alia, quæ in superioribus responsionibus tamquam nuper reperta allegauimus, satis superque demonstrant, quod rationes, quibus vtimur ad comprobandum, quod liber sermonum exhibitus non sit, neque esse possit originalis Sororis Mariæ Euangelistæ, non solum non collabescant, sed ab opposito omnimodam habeant firmitatem, & subsistentiam; ideoque non dubitamus, quod defensiónis methodus hodiè amplexa, quæ, vt superiùs ostendimus §. *Quamuis*, dici non potest absolutè noua, sed antiquæ prosecutoria, nouis tamen fundamentis clariùs illustrata, sit exaudienda, quia illam aggressi non fuimus, vt euitaremus examen eiusdem libri, vel censuram de eo peractam, veluti supponit Reuerendissimus Promotor, sed vt veritas, qualis in se est, in lucem prodiret, & Ven: Ancilla Dei vindicata remaneret ab enormi macula eidem impicta in præiudicium euulgatissimæ famæ eius sanctitatis.

## *Animaduersio nona.*

ASserit Reuerendissimus Promotor in §. 15., absonum videri, hunc librum, quem hactenus Postulatores vti originalem recognouerunt, quemque vti talem maxima semper in veneratione à Monialibus habitum fuisse testantur Nauarrus, & Daza, nunc

ob

„ ob solam opportunitatem declinandi validissimas censuras eidem
„ libro factas, impedientes progressum huius Causæ, tamquam
„ apogriphum velle respuere; concluditque, quod licet admitta-
„ tur, quod vbi constat de errore, propria confessio incautè, &
„ oscitanter emissa præjudicare non debeat, attamen hęc regula
„ non procedat nisi plenè, & concludenter doceatur de prætenso
„ errore.

## *Responsio.*

NOn contradicimus Reuerendissimo Promotori in eo, quod allegans errorem, debeat de illo plenè, & concludenter docere, sed respondemus, quod nullibi constat, quod antiqui Postulatores pro originali recognouerint controuersum librum, cum ipsi omissa tunc hac inspectione, toti fuerint in asserendo, quod liber non esset neque scriptus, neque dictatus à Serua Dei, prout clarè superiùs ostendimus in §. *Quamuis, & seqq.*; quæ quidem assertio nec à longè importare valet confessionem, quod idem liber foret originalis Sororis Mariæ Euangelistæ; nam qui simpliciter dicit, quod aliquis liber non est scriptus, neque dictatus ab vna Persona, non admittit, neque dicit, quod sit scriptus ab altera certa Persona, sed incertum relinquit illius Authorem, vt de se patet.

Præterea respondemus, quod quatenus etiam ijdem Postulatores, & Moniales cum hoc errore, & æquiuocatione processisse præsumi vellent, de eodem errore, & æquiuocatione plenissimè, & concludentissimè constaret; etenim fundamenta, & combinationes facti in superioribus responsionibus deductæ, iuncta etiam cronologia temporum, quibus Serua Dei prędicare, & Soror Maria Euangelista scribere respectiuè potuerunt, nullum relinquunt dubitandi locum, quin verè, erroneè, incautè, & oscitanter habitus fuerit idem liber pro originali; vnde tantum abest, quod absonum videri queat, quod dictus liber tamquam apogriphus hodiè respuatur, vt imò appareat, quod ille vti certissimè talis iustè, & necessariò sit respuendus.

## *Animaduersio decima.*

„ SVstinet Reuerendissimus Promotor in §. *16.*; huic hypothesi
„ applicari non posse exempla Causarum S. Jacobi de Marchia,
„ & Beati Ioannis Cantij, ex eo, quod in ijs causis penè ad euiden-
„ tiam demonstratum fuit, quod opera, quorum Authores olim cre-
„ diti fuerant præfati viri, non potuerunt ab illis conscribi, vti per-
„ pendendo, ac insimul combinando tempora, loca, aliasque cir-
„ cumstantias abundè constitisse asserit; in casu autem nostro nihil
„ adducatur, quod satis suadere possit, librum illum sermonum
„ iampridèm Sacræ Congregationi exhibitum, non esse illum ipsum
„ continentem sermones, quos tamquam ab ore Seruæ Dei excer-
„ ptos Maria Euangelista perscripsit.

## Responsio.

EAdem euidentia, qua in causis S. Iacobi de Marchia, & B. Ioannis de Cantio demonstratum fuit, quod opera, quorum ipsi fuerunt Authores, non potuerunt ab ipsis conscribi; nos quoque tam in restrictu, quàm in præsentibus responsionibus demonstrasse, ac plenissimè comprobasse authumamus, quod liber sermonum, de quo agitur, non potuerit à Sorore Maria Euangelista conscribi; circumstantiæ siquidem facti, ac combinationes temporum, & locorum per nos adductæ, & iustificatæ, necessariò concludunt, atque coarctant negatiuam istam, quod dicta Soror Maria Euangelista perscribere non valuerit eumdem librum, ac proinde insubsistens prorsus dignoscitur, quod nihil à nobis proferatur, quod hanc veritatem suadere possit.

## Animaduersio vndecima.

„ SVstinet pariter Reuerendissimus Promotor in §. 17., quod in hodierna prætensione reiiciendi tamquam apogriphum præfatum librum, audiri non mereamur; quia non solum ita aliàs, vt hodie loquimur, minimè loquuti fuimus, sed imò sustinentes, eum reuera continere sermones dictatos à Serua Dei, acriter contendimus ostendere, quod nihil in ijsdem sermonibus haberetur censura dignum, super quo elaboratam scripturam confecit Pater Ioseph Copons tunc Procurator Generalis in Curia Romana Ordinis Minorum S. Francisci, qua diluere sategit omnes notas à laudatis Censoribus, Cardinali Bona, & Patre Exparsa in eumdem librum factas; ex quibus Reuerendissimus Promotor concludit, quod cum Postulatores, ex quo irritos viderunt præteritos suos conatus, aliam nunc tentent viam omninò aduersantem primę pro assequendis eorum optatis, negari non possit, quin recens iste conatus multis reddatur suspicionibus obnoxius, proptereaque difficillimè exaudiendus.

## Responsio.

REpetita hæc obiectio, quod Postulatores admiserint, quod Liber, de quo agitur, contineret sermones dictatos à Serua Dei, collabescere penitus videtur ex ijs, quæ in alijs huius responsionis locis allegauimus, & signanter in §. *Quamuis*, in §. *Id ipsum*, & in §. *Tum denique quia*, vbi latè, & concludenter probauimus, quod Reuerendissimus Myrensis, & Reuerendissimus de Rubeis antecessores moderni Reuerendissimi Promotoris in eorum animaduersionibus expresse retulerint, quod Postulatores constanter asserebant, quod ijdem sermones in dicto Libro transcripti, non fuerint à Serua Dei conscripti, neque dictati, quodque Reuerendissimus Myrensis hanc Postulatorum assertionem quoad dictum Librum sermonum admiserit, vt ex verbis eius animaduersionum hic non inutiliter ite-

iterum transcribendis ibi = *Quidquid est respectu Libri sermonum*,
„ *quos forsan admitti posset non fuisse integrè scriptos, & per eademmet*
„ *verba, quæ prolata fuerunt ab eadem Serua Dei* =

Neque negocium facessit, quod Pater Ioseph Copons tunc Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci elaboratam scripturam confecerit pro diluitione notarum à Cardinali Bona, & Patre Exparsa in controuersum Librum factarum; nam tantum abest, quod d. Pater Copons in dicta scriptura aliquid dixerit, vel à longe indigitans, quod ipse haberet pro originali, & pro dictato à Serua Dei eumdem Librum, vt imò explicitè, & solemniter protestatus fuerit, illum non esse neque originalem, neque scriptum à Sorore Maria Euangelista, vt videre est ex tenore eiusdem protestationis, de qua *præsenti Summario Additionali num.7.* ibi = *Sequitur igitur, sermones hos minimè à Maria Euangelista conscriptos fuisse* =

At vt penitus, penitusque e[illegible] remaneat talis obiectio, dignentur Eminentissimi PP. audire quid de hoc Libro sermonum senserint Pater Martinus Exparsa, & Cardinalis Bona Censores ab hac Sacra Rituum Congregatione deputati. Pater siquidem Exparsa hæc ait in suo voto ibi = *Quidquid, & quomodolibet in istiusmodi Codicibus dicatur, non potest multum suffragari, aut derogare existimationi, ac iudicio probitatis, seù sanctitatis, qua alioquin emineret Serua Dei Ioanna de Cruce; Constat enim ex eisdem Codicibus, & maximè pag. illa 99.&c. istam Seruam Dei per se ipsam* NIHIL LIBRORVM SCRIPSISSE, AVT DICTASSE, *sed alias quasdam Moniales auscultantes Seruam Dei, quando alloquebatur cum Deo, scripsisse deindè quæ audierant, quatenùs meminisse potuere &c.* Cardinalis Bona verò inquit = *Quare si certò constaret, ab ipsa Ioanna, tam hos* SERMONES, *quàm ea, quæ supra ex eius Vita notaui, quolibet modo processisse, perpetuum silentium Causæ ipsius imponendum fore, sed quià fieri potuit, vt ipsa inscia hæc omnia à Confessario, siuè à Monialibus fingerentur, vt de pietate quæstum facerent, crederem suspendendum esse iudicium, & quia desunt hominum testimonia ad comprobandam facti veritatem, posset procedi in Causæ discussione, nulla pro nunc ratione habita horum scriptorum &c.*

En igitur clarum, quod ipsimet Censores non solùm explicitè fassi fuerunt, quod præfatus Liber sermonum non esset neque scriptus, neque dictatus à Serua Dei, sed insuper admisisse videntur, quod non erat originalis Sororis Mariæ Euangelistæ; Quotiescumque enim asseruerunt, quod ex ipso codice constabat, quod idem Liber exaratus extiterat à Confessario, siue ab alijs quibusdam Monialibus, vt de pietate quæstum facerent, de necessario consequenti affirmare, & contestari voluisse dicendi sunt, quod esse non poterat ille originalis Liber, quem iuxtà relationem Dazæ, & Nauarri miraculosè conscripserat dicta Soror Maria Euangelista, cum præsumi non valeat, quod ijdem Censores talem notam inurere cogitauerint dictæ Moniali, quæ non spontè, neque sua naturali peritia, sed tamquam à Deo miraculosè præelecta, diuino, ac supernaturali adiutorio opus prædictum confecit.

Quibus itaque sic se habentibus, nemo non videt, quod via, quam nunc tentamus, non est noua, neque aduersans primæ, & multò minùs alicui suspicioni obnoxia, prout opponit Reuerendissimus Promotor, sed est via antiqua ab ipsis Censoribus, & Promotori-

bus Fidei aliàs admissa, & approbata; ac in præsenti magis explanata ex fundamentis nouiter repertis, quæ certò certius nobis pollicentur optatam Causę prosecutionem ab EE.PP. tandem aliquando reportare posse.

# *Animaduersio Duodecima.*

TRia obijcit Reuerendissimus Promotor in §.18. 19., & 20. = Primum nempè, quod Postulatores agnoscunt, arduam esse
„ prouinciam, quam hodie assumunt substinendi, quod liber ser-
„ monum iamdudum exhibitus non sit ille met Codex originalis tùm
„ à Nauarro, tùm à Daza, tùm demum à Monialibus semper pro
„ originali habitus, ideoque admittentes illum esse autographum à
„ Maria Euangelista exaratum, se conuertunt ad subterfugium, quod
„ adhuc non sit comprehensus sub dispositione Decretorum Genera-
„ lium, ex quo sermones isti non fuerunt scripti à præfata Moniali,
„ in actu, quo illos dictaret Serua Dei, sed ex interuallo. Secun-
„ dum, quod pro responsione ad hoc Postulatorum subterfugium sa-
„ tis sit in memoriam reuocare, quod aliàs hoc ipsum fuit à Postula-
„ toribus Sacræ Congregationi expositum; quin tamen meruerint
„ vnquam ex hoc motiuo obtinere progressum ad vlteriora; vnde
„ incongruum videatur sub pallio nouarum rationum easdem aliàs
„ reiectas iterum refricare. Et tertium tandem, quod iustitia resolu-
„ tionis eiusdem Sacræ Congregationis in reijciendo dicto motiuo,
„ elucescit ex eo, quod sermones, de quibus agitur, semper habiti
„ fuerunt tamquam constantes ijsdem verbis, quæ Serua Dei profe-
„ rebat; tantumque abest, vt aliqua suspicio vnquam inuaserit, quod
„ Maria Euangelista quidquam alienum à mente Seruæ Dei inserue-
„ rit in sermonibus per ipsam scriptis, vt imò ad excludendam quam-
„ libet huius suspicionis vmbram, affirmetur supremo Dei imperio,
„ atque præsidio dictam Monialem huic ministerio fuisse addi-
„ ctam.

# *Responsio.*

QVod attinet ad primum respondemus, quod Postulatores prouinciam, quam assumpserunt, facilem, planam, & expeditam, non autem arduam agnouerunt; Fundamenta enim, quibus illam aggressi fuerunt, talia, & tanti ponderis sunt, vt quamlibet eius arduitatem superare dignoscantur.

Neque subsistit, quod ipsi vnquam admiserint, quod Liber Sermonum dudùm exhibitus, sit authographus à Sorore Maria Euangelista exaratus. Siquidem in eorum Restrictu, postquam solidissimis rationibus comprobarunt, illum non esse authographum dictæ Monialis, in §. 30. hoc solummodo expresserunt, ibi = *Fortiùs, & procul omni hæsitatione, quia etiam in casu, quo versaremur in Libris originalibus, adhùc isti minimè sunt comprehensi sub Decreto Vrbani*: Talis autem expressio ex naturali significatione verborum, quibus facta apparet, positiuè excludere videtur confes-

sionem,

ſionem, quod ijdem Libri eſſent originales, & tantummodo importat quamdam additam rationem ad demonſtrandum, quod etiam in caſu, quo verſaremur in Libris originalibus, qui tamen caſus non erat, neque eſt, adhuc demandari debuiſſet proceſſus ad vlteriora in hac Cauſa, quià ijdem Libri vtpotè neque ſcripti, nequè dictati à Serua Dei, ſubijci non merebantur diſpoſitioni eiuſdem Decreti Vrbani.

Quò verò ad ſecundum dicimus, quod præfatum motiuum non videtur promereri nomen ſubterfugij, cum illud non ſolùm elicitum per nos fuerit ex declarationibus factis ab ipſis met controuerſorum librorum Cenſoribus, ſed inſuper approbatum extiterit à Reuerendiſſimis pro tempore Fidei Promotoribus, vt perſpicuè apparet ex tenore dd. declarationum, & animaduerſionum dd. Reuerendiſſimorum Promotorum ſuperius in hac reſponſione regiſtrat.

Non perturbante, quod Sacra Congregatio ſpreto hoc motiuo, petitum proceſſum ad vlteriora indulgere recuſauerit; nam cum fundamenta nuper reperta talia, & tanta ſint, vt non ſolùm oſtendant, quod libri, de quibus agitur, non ſint, neque eſſe poſſint originales, ſed vlterius confirment, & roborent motiuum iſtud, quod ijdem Libri non ſint ſcripti, neque dictati per Seruam Dei, & conſequenter nequaquam ſubiecti legi Decretorum Generalium, non dubitamus, quin proceſſum ad vlteriora, quem aliàs Sacra hæc Congregatio denegauit, hodie etiam ex hoc motiuo concedere dignetur; Ideòque incongruum nullatenus videtur, quod idem motiuum ſub clypeo nouarum validiſſimarum rationum in præſenti refricetur.

Pro eo tandem, quod reſpicit tertium, firmiter negamus, quod libri, de quibus agitur, fuerint ſemper habiti tamquam conſtantes ijsdem verbis, quæ Serua Dei proferebat; ex ijs enim, quæ deducta fuerunt ab antiquis Poſtulatoribus; ex ijs, quæ præcisè quoad librum ſermonum admiſerunt Reuerendiſſimi pro tempore Fidei Promotores; & ex ijs denique, quæ expreſſerunt ipſi met Cenſores in eorum cenſuris per extenſum hìc relatis in §. *At vt &c.* euidentiſſimè patet, quod ſemper aſſertum, admiſſum, & comprobatum fuit, quod præfati libri tot, tantiſque prætenſis erroribus cumulati, nullatenus dici poterant dictati à Serua Dei, & multo minus ſcripti cum eiſdem met verbis, quæ ab ipſa prolata fuerunt in prædicando.

Et quamuis affirmatum quoque fuerit, quod Soror Maria Euangeliſta ſupremo Dei imperio, atque præſidio, miniſterio ſcribendi ſermones prædicatos à Serua Dei addicta extiterit; non tamen exindè deduci poteſt (vt innuit Reuerendiſſimus Promotor) quod liber ſermonum dudùm exhibitus ſit ille met Codex originalis, quem ad dictamen Seruæ Dei, & cum eiſdem met verbis, quæ ab ipſa proferebantur, ſcripſit prædicta Monialis; Cum imo ex hac circumſtantia, iuncta cronologia temporum ſuperiùs comprobata, totum oppoſitum deſumi videatur. Quandoquidem (vt benè ſuperiùs probauimus in §. *Si Liber*, & in §. *Eiuſmodique*] ſtatim ac admittitur, prout denegari non poteſt, quod liber originalis dd. ſermonum imperio Dei, diuinoque præſidio ſcriptus extiterit, admitti quoque pro indubitato debet, quod liber ſermonum, de quo agitur,

 non

non sit ille, quem ad dictamen Seruæ Dei, & cum verbis ab ea prolatis exarauit Soror Maria Euangelista. Præsumi namque non potest, quod Deus imperauerit Sorori Mariæ Euangelistæ, vt scriberet errores, quos dictabat, & prædicabat Serua Dei, quodque eidem Moniali pro hoc opere explendo præsidium suum elargitus fuerit, prout præsumendum foret, quatenus Liber hic sermonum Romæ existens, & assertos errores continens haberi vellet pro illo Codice originali, quem dictauit Serua Dei, & respectiuè scripsit Soror Maria Euangelista opera supernaturali.

## *Animaduersio Decimatertia.*

„ VRget Reuerendissimus Promotor in §.21. aiendo, quod Codex sermonum, de quo agitur, in maxima semper veneratione habitus fuit, non alio planè nomine, nisi quia contineret ipsosmet sermones à Serua Dei prolatos; vnde etiam Wadingus *in Annal. Min.*, & Frater Ioannes de S.Didaco Villalon *in compendio Vitæ* huius Seruæ Dei referant, Sororem Mariam Euangelistam fuisse Scribam electam ad scribendum ea, quæ Serua Dei pronunciabat.

## *Responsio.*

VEneratio, quam erga controuersum Codicem habita semper fuit, quia suppositus extitit originalis, non est fundamentum sufficiens ad probandum, quod ille verè sit originalis; Quotiescumque enim ex certissimis documentis, & demonstrationibus latè in hac responsione deductis euidenter constat, quod idem Liber non sit, neque esse possit Liber originalis, quem descripsit Soror Maria Euangelista Scriba à Deo electa ad scribendum ea, quæ Serua Dei pronunciabat, inefficax redditur erronea veneratio, & existimatio hùc vsque de eo habita; Falsa namque opinio Monialium, à qua processit etiam opinio Dazæ, Nauarri, Wadingi, & Fratris Villalon, veritati præiudicari non potest, neque huic Causæ immedicabile vulnus ferre debet. Recens de hoc exemplum habemus in operibus attributis B. Ioanni Cantio, quæ publicè reputabatur, quod scripta essent ab ipsomet Beato suo proprio charactere; Istiusmodique traditio fundabatur non super credulitate aliquarum Monialium, nimis creduli, & proni ad pietatem sexus, nec super dicto particularium Personarum tantùm, vt accidit in casu nostro, sed fundata erat super publica voce, & fama, necnon super explicita confessione omnium Doctorum Vniuersitatis Cracouiensis, taliter quod Postulatores non hæsitarunt tuta, ac tenaci mente illa compulsare in Processibus Apostolicis. Et tamen comperto æquiuoco, & constito, quod libri non erant neque scripti, neque dictati à dicto Beato, Sacra hæc Rituum Congregatio non dubitauit pro apogriphis illos declarare, nec obstaculum facere prosequutioni Causæ Canonizationis eiusdem, sicuti videre est in Positione *Cracouien Canonizationis Beati Ioannis Cantÿ* proposita ab Eminentissimo Fico de anno 1730. die 16. Septembris.

Hoc

Hoc autem, quod practicatum fuit in Causa Beati Cantij, multò faciliùs practicari debet in Causa præsenti Ven. Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce, nedùm ob dictam rationem, quia longe grauior est traditio, quæ venit ab vniuersitate Doctorum, & integro magnæ Ciuitatis Populo, quàm ea, quæ, vt in hypothesi, ortum ducit à pijs mulieribus, & alijs, qui de hac veritate, piè procedentes, querere non curarunt; sed etiam, & fortiùs, quia in facto constat, quod Moniales, alijque certò, & indubitatò errauerunt quoad librum vitæ, & miraculorum, quem pariter reputantes originalem in maxima semper veneratione habuerunt, & tamen compertum extitit, & ipsemet Reuerendissimus Promotor in suis Animaduersionibus §.6. admittit, & confitetur, illum non esse originalem, neque scriptum à Sorore Maria Euangelista, sed post obitum Seruæ Dei exaratum extitisse à quodam anonymo Confessario. Sicuti autem errauerunt, & equiuocarunt Moniales, & alij quoad librum vitæ, nec maxima veneratio, quæ erga illum habita fuit, obijcem præstat, quin pro apogripho dijudicari valeat, quænam ratio vult, quod consimilis veneratio obstare solummodo debeat, quin liber sermonum, qui pariter apogriphus luculentissimè demonstratur, talis non dijudicetur.

Attento præsertim, quod etiam hìc in Vrbe dictus liber vitæ, qui indubitanter originalis non est, vsque ad præsentia tempora pro originali habitus fuit, vt liquet ex citatis Animaduersionibus Reuerendissimorum Promotorum; vndè nil mirandum, si rudiores Moniales, alijque, qui ab illis rei notitiam habuerunt, pietate, ac deuota credulitate ducti in deuotissimo Hispaniarum Regno assensum qualitati originalium præstiterint; agitur enim de re nemini præiudiciali, imò fauorabili, ac deuotioni consentanea, in qua homines non solent esse subtiles indagatores, sed faciles, nimisque proni ad credendum, quemadmodum, experientia teste, perspectum est; & ex hac eadem facilitate, qua homines in hac materia fauorabili, ac tendente in augumentum deuotionis erga Seruos Dei ducuntur ad credendum, oritur, quod sæpè ipsimet etiam Historici in eadem materia allucinentur, se fundantes in hisce vanis Fidelium vocibus, quæ tamen in formali iudicio minimè sunt attendendæ, cum vt plurimùm contra se veritatem habeant *cap. Osius Episcop. de elect. l. Decurionum versic. vanæ voces, Cod. de pen. Bald. cons. 295. num. 2. vol. 1. Corn. cons. 84. num. 3. lib. 1. & cons. 130. num. 6. lib. 4. Mascard. de probat. conclus. 748. n. 6. & 7.*

## *Animaduersio Decimaquarta.*

„ ADuertit Reuerendissimus Promotor in §.22., quod parum referat, quod Serua Dei controuersos sermones non dictando, sed potius prædicando recitaret, cum pro effectu, de quo agitur, satis sit, quod illos quocumque modo pronunciauerit; fortiùs quia eidem quoque innotescebat, eos à Sorore Maria Euangelista fore perscribendos.

Re-

# Responsio.

SI certò constaret ( vt vtamur verbis Eminentissimi Cardinalis Bona in censura huiusce met libri adhibitis ) quod sermones, qui in eodem libro continentur, aliquomodo processissent ex ore Ven. Ancillę Dei, Animaduersio Reuerendissimi Promotoris aliquam fortasse vim habere posset; at cum ex huc vsque probatis clarè elucescat, quod ijdem sermones contenti in libris, qui in Curia adsunt, non potuerint neque dictari, neque prædicari à Serua Dei, de plano sequitur, quod pro effectu, de quo agitur, processus nempè ad vlteriora maximè conferat circumstantia ista, quod Serua Dei dictos sermones non dictauerit, sed solummodo prædicauerit, cum ex ea deducatur, proùt concludit dictus Cardinalis Bona in citata censura, quod ijdem sermones, inscia Serua Dei, à Confessario, siue à Monialibus conficti fuerint, vt de pietate quæstum facerent; id quod fieri non potuisset, quatenùs Serua Dei illos solùm dictasset Sorori Mariæ Euangelistæ scribæ prælectæ, & sibi cognitæ, vt de se patet.

# Animaduersio Decimaquinta.

„ ADuertit pariter Reuerendissimus Promotor in §.23. quod protestatio in principio eiusdem libri à Scribente præmissa, qua declarat contingere potuisse, vt in aliquo fortasse, vel per calami lapsum, vel per memoriæ defectum errauerit, non sit attendenda ex quo non agitur de paucis quibusdam ęquiuocationibus, seù erroribus, qui rarò offenderentur, efficientes obscuram, vel etiam aliqualiter dissonam sintaxim cuiuspiam ex sermonibus in hoc ingenti codice descriptis, sed de tot erroneis, ineptis, falsis, & censurabilibus expressionibus, ac narrationibus, quæ in ijsdem sermonibus notarunt Cardinalis Bona, & Pater Exparsa, in quibus terminis dd. plurimi, & censurabiles errores tribui nullatenus possunt solius Scriptricis inaduertentiæ.

# Responsio.

PRotestatio prædicta, quæ non ab vna tantum persona, ( vt inquit Reuerendissimus Promotor ) sed à pluribus facta inspicitur, nec non ipsa met pluralitas, ac grauitas errorum, quibus infecti asseruntur sæpedicti sermones, maximi momenti esse videntur pro comprobando, quod liber, de quo agitur, non sit, neque esse possit originalis Sororis Mariæ Euangelistæ. Tenor siquidem eiusdem protestationis in his verbis conceptus, ibi = *Et si nos in aliquo errauerimus* = sicuti indigitat, quod liber exaratus extiterat non ab vna tantum Moniali, sed à pluribus personis, ità manifestè demonstrat, quod esse nequit ille liber sermonum originalis, quem scripsit Soror Maria Euangelista, quia hæc vtpotè ad scribendum à Deo prælecta de se sola, non autem cum aliarum personarum consortio scribere debuit.

Et

Et de facto ipsemet Eminentissimus Cardinalis Bona, quem in animaduersione allegat Reuerendissimus Promotor, apertè declarat, se esse in sensu, quod dd. sermones fuerint scripti à pluribus mulierculis, non autem ab vna tantum Moniali; inquit enim, quod in eisdem sermonibus reperiuntur = *multa loquacitas, plures ineptiæ, & chimericæ narrationes, multa* MVLIERCVLARVM DELIRAMENTA; quæ sanè verba applicari non possunt vni soli Scriptrici, sed de pluribus intelligi debent.

## Animaduersio Decima sexta.

„ ADuertit tandem Reuerendissimus Promotor in §. 24. quod nostræ hypothesi non applicentur exempla à Postulatoribus adducta de ijs, quæ contigerunt Confessario Beatæ Angelæ de Fulgineo, tertio Discipulo, & Amanuensi S. Pauli Apostoli, & demum ipsimet S. Brigittæ.

## Responsio.

EX nostro Restrictu §.33., & §.34. apparet, quod præfata exempla fuerunt à Póstulatoribus solummodo allegata pro vindicando ab obiectis libro vitæ Seruæ Dei verè originali; cumque liber hic Romæ exhibitus fuerit iam ab ipso met Reuerendissimo Promotore recognitus, quod non sit ille met liber originalis, quem ad dictamen Seruæ Dei scripsit Soror Maria Euangelista, hoc exuberat ad intentum eorumdem Postulatorum, quia prædicta exempla illum operata fuerunt effectum, quem ipsi exoptabant.

## Animaduersio Decima septima.

„ IN §.25., & §.26. colligens Reuerendiss. Promotor ea omnia, quæ sparsim obiecit in relatis suis animaduersionibus, inquit, quod Postulatorum assumptum in ea parte, qua contendunt, librum sermonum iam pridem huic Sacræ Congregationi exhibitum, non esse illum codicem originalem, de quo loquuntur Daza, & Nauarrus, videtur omninò insubsistens ex eo, quod iste codex correspondet adamussim descriptioni, quam de illo faciunt memorati Authores, & signanter Pater Daza. Quò verò ad alteram partem eorum assumpti, qua contendunt istum codicem, licèt originalem, non esse comprehensum sub dispositione Decretorum Generalium, ijdem Postulatores non videntur exaudiendi, ex quo id ipsum aliàs ab ijs prætensum fuerit, nec nouæ afferantur hodiè satis validæ rationes, quæ persuadere possint recessum à decisis, quin potiùs vrgeant semper eadem motiua, quæ impulerunt Sacram Congregationem ad præstandum consilium Sanctissimo pro impositione silentij.

# Responsio.

PRò diluitione huius vltimæ Animaduersionis Reuerendissimi Promotoris, nos quoque colligimus ea, quæ latè deduximus, in præsentibus Responsionibus, & dicimus, quod nostrum assumptum in ea parte, qua contendimus, librum sermonum dudùm exhibitum, non esse illum codicem originalem à Sorore Maria Euangelista exaratum, proùt procedentes cum erronea traditione à Monialibus orta existimarunt Daza, & Nauarrus, optimè subsistere, & à toto genere verificari; etenim liber sermonum, quem descripsit Soror Maria Euangelista scriba à Deo electa, & supernaturali infusione artis scribendi pro hoc opere conficiendo ditata, continere non poterat illos grauissimos errores, quibus refertus asseritur liber Romæ existens, quia Deus nulla facit, aut facere potest miracula, quibus errores, & falsa doctrina confirmentur. Item ex Daza habetur, quod Serua Dei prædicare incæpit anno 1505., & terminauit de anno 1518., quodque Soror Maria Euangelista librum originalem sermonum ab ea prædicatorum scripsit in vltimo anno prædicationis, & cum hac Dazę assertione concordant Testes formiter examinati in Processibus Apostolicis; vnde idem liber originalis non potuit confici, nisi de d. anno 1518.; ex data autem libri sermonum in Vrbe præsentis constat, quod ille descriptus extitit de anno 1509., nempè per nouem annos antè quàm Serua Dei cessaret à prædicatione sermonum, & Soror Maria Euangelista scriberet, ac haberet à Deo supernaturalem artem scribendi. Vlterius idem Daza in vita Seruæ Dei impressa Mutinæ *fol.63.* affirmat, quod Carolus V. Imperator audiuit Seruam Dei prædicantem, & in hoc paritèr conueniunt Testes in dd. Processibus Apostolicis formiter repetiti; cumque d. Carolus V. à Flandria in Hispaniam iuxtà omnium Historicorum concordem assertionem non nisi de mense Septembris anni 1517. sese contulerit, manifestum euadit, quod sicuti idem Imperator Seruam Dei concionantem audire non potuit, nisi in fine d. anni 1517., vel in principio anni 1518., quodque Soror Maria Euangelista, quæ scripsit in vltimo anno dictæ prædicationis, librum originalem sermonum exarare nequiuit, nisi de d. anno 1518.; ità indubitatum remanet, quod liber sermonum, de quo agitur, qui completus dignoscitur de anno 1509. antè quàm Carolus V. in Hispaniam sese coferret, ac Seruam Dei prædicantem audiret, esse nequeat liber ille originalis, quem descripsit de d. anno 1518. præfata Soror Maria Euangelista.

Porrò hæc, & alia, quæ comulauimus in nostro Restrictu, adeò solida, & efficacia esse videntur, vt nullum relinquant dubitandi locum, quin verè nostrum assumptum in ea parte, quà substinemus, præsentem sermonum codicem non esse illum codicem origiualem à Sorore Maria Euangelista confectum, omnimodam habeat subsistentiam.

Quo verò ad alteram partem nostri assumpti, qua contendimus, eumdē codicem sermonum, licèt originalem, non esse comprehensum sub dispositione Decretorum Generalium, dicimus, quod huius opinionis fuerunt tùm Rm̄i pro tempore Promotores, tum etiam ipsi met Censores, Cardinalis nempè Bona, & P. Martinus Exparsa, qui etiam in

sup-

ſuppoſito, quod controuerſi libri forent originales, concorditer affirmarunt, quod cum certò non conſtaret, quod ijdem ſermones dictati fuiſſent à Serua Dei, imò appareret, quod vel Confeſſarius, vel nonnullæ Moniales eos confixiſſent, vt de pietate quæſtum facerent, ſubijci non poterant legi Decretorum Generalium, neque impedire vlteriorem Cauſæ progreſſum.

Et quamuis Sacra hæc Congregatio poſtulatum Cauſæ curſum aliàs concedere recuſauerit; adhuc certum eſt, quod negatiuum reſcriptum eiuſdem Sacræ Congregationis non prodijt ex capite huius libri ſermonum, ſed ex capite libri vitæ Seruæ Dei, quem ijdem Fidei Promotores mordicùs contendebant, eſſe dictatum ab ipſa Serua Dei; ideoque cum in præſenti dictus liber vitæ à non ſatis commendabili diligentia moderni Reuerendiſſimi Promotoris recognitus fuerit pro apogripho, & diſpoſitioni Decretorum minimè ſubiectus: hæc noua ſolidiſſima ratio, iuncta cum indubitata deperditione librorum originalium, qui non obſtantibus reiteratis diligentijs exactiſſimè, & iudicialiter factis reperiri non potuerunt, non ſolùm oſtendere videtur, quod noſtrum aſſumptum etiam in hac parte ſubſiſtit, ſed inſuper ſuadet, quod omninò recedendum ſit à deciſis, & demandari debeat proceſſus ad vlteriora, veluti in ſimilibus terminis practicatum fuit ab hac Sac. Rituum Congregatione in Cauſis B. Humilitatis, B. Nicolai Cardinalis Albergati, & Ven. Serui Dei Hieronymi Emiliani, proùt etiam, atque etiam expoſcimus.

Quare &c.

Petrus Paulus Santochius Aduoc.
Joſeph Luna.

REVISA.

Joannes Prunettus Sub-Promotor Fidei.

15

# TOLETANA
## *Beatificationis, & Canonizationis*
## VEN. SERVÆ DEI
# IOANNÆ DE CRUCE

Monialis Professæ in Ven. Monasterio Sanctæ Mariæ de Cruce propè Oppidum de Cubas Tertij Ordinis Sancti Francisci.

# SUMMARIUM ADDITIONALE.

Num. 1. Protestatio Patris Copons emissa in fine suarum responsionum ad censuras editas super asserto libro Vitæ Seruæ Dei.



ONCLVDO ergò, intentionis meæ non fuisse defendere librum, cuius ignoratur Author, & nomen Authoris, neque cogitaui Venerabilem Ioannam à Cruce ab impositis sibi ex hoc libro erratis defendere ob rationem piè tactam, & quia etiam si aliqua sim deuotione ergà eam affectus (in quo totam sequor Hispaniam), nihilominùs si eam in aliquo comprehenderem errore, damnarem errorem, servarem (si possem) errantem; quandoque enìm bonus dormitat Homerus; nec rarum est, errare etiam Sanctos materialiter in doctrinis, & sæpiùs in visionibus: ibi enìm inimicus homo seminat zizaniam, vbi Deus homo semen bonum seminauit; quod si errantem seruare non possem, damnarem, nàm magìs amica veritas &c.

Fr. Ioseph Copons Procurator Generalis Ordinis.

Num. 2. Particula animaduersionum bo. me. de Rubeis olìm Fidei Promotoris,

Nec dicatur, adnotata in eorum recognitione pro futilibus, erroneis, & alienis à recto, & communi sensu Theologorum, & Ecclesiæ non officere prosecutioni Causæ tamquàm scripta à diuersa persona, quæ potuit errare in non benè percipiendo, & describendo audita, & dicta Seruæ Dei, nè quis debeat alienis erratis prægrauari, sicut pro animaduertendo ponde-

rat eruditissimus Pater de Exparza in fine suæ relationis; quoniam præcitati Scriptores non solum affirmant, Deum concessisse gratiam scribendi dictæ Sorori Mariæ Euangelistæ, vt illas scriberet, sed ampliùs inquiunt, scripsisse vitam, & acta singula, ei dictante ipsamet Serua Dei, vt dictanti, non scribenti tribuendum sit quidquid in tali libro quomodolibet scriptum reperitur &c.

Petrus Franciscus de Rubeis Promotor Fidei.

Num.3. Particula aliarum animaduersionum bo. me. Archiepiscopi Myren pariter Fidei Promotoris.

Quidquid enim sit respectu libri sermonum, quos forsàn admitti posset, non fuisse integrè scriptos, & per eademmet verba, quæ prolata fuerunt ab eadem Serua Dei, *non videtur euitari posse, quod liber vitæ, & miraculorum sit ipsi tribuendus &c.*

Num.4.

*Ex historia vitæ Seruæ Dei scriptæ à P. Daza cap. 15. fol. 63.*

§. 1. *Pater Daza asserit, Dei Famulam in suis raptibus predicare incæpisse anno ætatis suæ 24.*

Quando il Signore diè alla sua Serua questa grazia, ella era di 24. anni della sua età, e sempre si trouaua in inspirito rapita, quando la riceuea, e molte volte per quello, che apparea l'vdiuano a fauellar con gli Angeli, con gli Apostoli, e con li Santi, e come quella, che se ne staua alla presenza di Dio, dinanzi a cui i suoi prieghi porgeua per tutte le persone del Mondo in generale, e per alcune in particolare, e per l'Anime del Purgatorio, lo supplicaua &c.

§. 2. *Ex eadem historia constat, Seruam Dei natam esse anno 1484.*

*Et cap.2.pag.5.* = E per dar complimento alla sua promessa l'anno 1481. nella festiuità della Croce di Maggio, nella Sagra di Toledo in Azagna, luogo dello stesso Arciuescouato, e della Chiesa di Toledo, chiamata S. Maria, diè la Serua sua, che di sotto dirassi, in luce, acciò colei, che auea da viuere, e morire nella santa Casa di Maria Vergine, nascesse in luogo di sua giurisdizione, e dedicato a lei.

§. 3. *In supradicta Prædicatione Serua Dei per triennium continuauit, juxtà assertum Dazæ.*

*Et supradicto cap.15.pag.61.* = Nel tempo però, ch'ella fu mutola, e per alcuni anni dopo, stando la Serua di Dio in estasi, predicaua, dicendo in virtù diuina marauigliose sentenze, dichiarando profezie, e luoghi difficili delle Scritture sagre con stupor grande di tutti quei, che l'vdiuano, conoscendosi manifestamente la virtù del Signore nella sua Serua. *Le durò questa segnalatissima grazia tre anni, parlando d'otto in otto giorni vna sola volta*, e di quindeci in quindeci, altre volte di quattro in quattro, altra al terzo giorno, altra fra l'vn giorno, e l'altro, & alcune ogni giorno, e due, e tre fiate, come era più in piacere a Sua Diuina Maestà.

§. 4. *Ac in vltimo anno prædicationis præfatos sermones scripsit Soror Maria Euangelista.*

*Et eodem cap. 15. pag. 64.* = Questo libro del Compendio tiene settanta vn sermone in altri tanti capitoli diuisi, e scritti in settecento, e trenta tre carte in foglio &c., e solo in vn' anno, prendendo parte del 1508., e parte del 1509. scrisse questa benedetta Donna trecento, e sessanta cinque pieghi, che è quello, che questo libro contiene; è di carattere, tutto

che

che il tempo, e la tignuola l'abbiano roſo, e maltrattato, aſſai leggibile, e buono. Li ſermoni, che predicò queſta Serua di Dio in queſt'anno, come ſiano nell'original Compendio, ſono i ſeguenti &c.

## EX PROCESSV REMISSORIALI, ET COMPVLSORIALI CONSTRVCTO SVPER SANCTITATE, VITÆ, VIRTVTIBVS, ET MIRACVLIS SERVÆ DEI.

Num.5. Teſtes formitèr examinati in Proceſſibus tàm Apoſtolicis, quàm Informatiuis.

I. *Teſtis Proceſſus informatiui compulſati in dicto Proceſſu Remiſſoriali Apoſtolico. Mater Anna à Conceptione Abbatiſſa Monaſterij annorum 70. Proc. fol.44. ſuper 11. artic. dixit.*

Similiter audiuiſſe dici, & narrari à dictis Monialibus antiquis ſuprà relatis, illudque legiſſe in libris ſuæ vitæ dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, & eſſe traditionem antiquam, qualiter dicta Serua Dei Ioanna de Cruce, dùm exiſteret in raptu, extaſibus, & reuelationibus alloquutum fuiſſe per eius os Spiritum Sanctum *per tredecim annos*, & magno zelo animarum edocebat in multis ſermonibus, quos prædicauit exiſtens in dictis raptibus, loquendo varijs linguis altiſſimas ſententias, & dùm illas prædicaret, operabatur magna mirabilia, & fructus in animabus; ad quam audiendam accedebat magnus concurſus Principum, & Prælatorum, & hominum Doctorum, Religioſorum, & Sæcularium de omnibus conditionibus, quia tunc non obſeruabatur clauſura in hoc dicto Monaſterio, & omnes admirabantur de ſermonibus, & doctrina adeò magna, & feruenti, & cum tanto zelo, & ardente charitate, & amore Dei, & proximi; & præſertìm narrabant, qualiter illam venerant auditum Imperator Carolus Quintus, & Cardinalis Don Frater Franciſcus Ximenez Archiepiſcopus Toletanus, & dictus magnus Capitaneus Gundiſalvus Fernandez de Cordoua, qui prout dictum eſt conſtrui fecit vnum dormitorium in hoc dicto Conuentu.

§. 1. *Serua Dei prædicauit per ſpatium tredecim annorum.*

§. 2. *Ingens concurſus Virorum nobilitate, ac doctrina præſtantium.*

§. 3. *Ad eam audiendā acceſſit etiam Carolus V. Imperator.*

*Et fol.48. ſuper 16. art. dixit.* Hanc Teſtem dici audiuiſſe à dictis Monialibus antiquis ſuprà relatis, & ſimiliter ab eadem Maria Euangeliſta contenta in articulo, ſocia dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, quam cognouit hæc Teſtis, Deum Dominum ad inſtantiam dictæ eius Seruæ Ioannæ de Cruce dotaſſe dictam Mariam Euangeliſtam dono ſciendi legere, & ſcribere, abſque eo quod edocta fuiſſet, & ipſa illud ſciret, ac ſimiliter illam dotaſſe particulari apprehenſiua illius, quod prædicari audiebat à dicta Serua Dei in ſuis eleuationibus, & extaſibus, & quod dicta Maria Euangeliſta de mandato Domini, & ad reuelationem Angeli ſcripſit librum vocatum *el Santo Conorte* ſermonum, quos dicta Serua Dei Ioanna de Cruce prædicauit in vno ex tredecim annis, quibus durauit prædicatio, & locutus fuit per eius os Spiritus Sanctus.

§. 4. *Soror Maria Euāgeliſta ſcripſit ſermones prędicatos in vno ex prædictis tredecim annis.*

II. *Teſtis D. Raphaella de Caſtella Abbatiſſa annorum 48., eodem Proceſ. Informatiuo fol. 57. ſuper vndecimo Articulo. Dixit* =

§. 5. *Prædicatio Ser-*

*uæ Dei per tredecim annos continuata.*

Quod similiter dici audiuit à dictis Monialibus antiquis sermones dictæ Seruæ Dei factos per spatium *tredecim annorum*, quos loquutus fuit per eam Spiritus Sanctus, fuisse habendo magnas visiones, extases, & reuelationes, & cum illis edocebant magno zelo boni animarum altissimas sententias cum varietate linguarum operando magna mirabilia, & fructum animarum, & magnus gentis concursus accedebat illam auditum, ac Principes, & Prælati, ac homines docti, qui omnes mirabantur similes sermones adeò doctos, & feruentes, ac tanto zelo, & ardenti charitate, ac amore Dei, & proximi; & quod præsertìm venerunt illam auditum Imperator Carolus Quintus, & Dominus Cardinalis Don Frater Franciscus Ximenez de Cisneros Archiepiscopus Toletanus, & Magnus Capitaneus Gundisalvus Fernandez de Cordoua.

§. 6. *Concursus Virorum doctrina præstantium.*

§. 7. *Accessus etiam Caroli V. Imperatoris.*

*Et fol.61. ter. super 16. Articulo. Dixit* = Similitèr dici audiuisse à dictis Monialibus antiquis suprà expressis, ac ex traditione, & publica voce, & fama, quod dicta Maria Euangelista de mandato Domini, ac reuelatione Angeli scripsit quemdam librum nuncupatum *el Santo Conorte* sermonum, quos dicta Serua Dei prædicauit in vno ex tredecim annis, quibus, proùt dixit, prædicauit.

§. 8. *Librum sermonum scripsit Soror Maria Euāgelista in vno ex dictis tredecim annis.*

III. *Testis Soror Beatrix de Spiritu Sancto ex = Abbatissa annorum 70. d. Proc. Informatiuo fol. 70. super vndecimo Articulo. Dixit* = Similiter dici audiuisse à dictis Monialibus antiquis suprà nominatis, quæ tractarunt, & communicarunt cum dicta Serua Dei Ioanna de Cruce, ac ex traditione, & illud legit in libro suæ vitæ, dictam Seruam Dei Ioannam de Cruce locutam fuisse virtute diuina *tredecim annis*, loquente per os Spiritus Sancti, habendo magnas visiones, extases, & reuelationes, & raptus, & erat magnus concursus Principum, & Prælatorum, ac personarum omnium qualitatum, & doctarum, quæ accedebant ad illam audiendam, admirantibus omnibus sermones adeò doctos, & feruentes, ac tanto zelo, & ardenti charitate; & amore Dei, & proximi, & præsertìm venerunt illam auditum Imperator Carolus Quintus, & Dominus Cardinalis Don Frater Franciscus Ximenez de Cisneros Archiepiscopus Toletanus.

§. 9. *Prædicauit Serua Dei per spatium tredecim annorum.*

§. 10. *Ingens concursus Virorum nobilitate, ac doctrina illustriū.*

§. 11. *Accessit etiam ad eam audiendam Carolus V. Imperator.*

*Et fol. 75. super Articulo 16. dixit* = Similiter dici audiuisse à dictis Monialibus antiquis suprà relatis, ac ex traditione, & publica voce, quod dicta Maria Euangelista de mandato Domini, & reuelatione Angeli scripsit librum nuncupatum *el Santo Conorte* sermonum, quos dicta Serua Dei Ioanna de Cruce prædicauit in vno ex tredecim annis, quibus, proùt suprà dixi, prædicauit, & locutus fuit per illam Spiritus Sanctus.

§. 12. *Soror Maria Euangelista scripsit sermones prædicatos in vno ex dd. tredecim annis.*

IV. *Testis Soror Maria Magdalena Ostiaria Monasterij annorum 48., dicto Process. Informatiuo fol. 94. tergo super vndecimo Articulo. Dixit* = Quod ex eisdem rationibus dictis, ex traditione, ac publica voce, & famá, ac de auditu à Monialibus antiquis, ac lectura librorum, & historiarum, scit, & dici au-

§. 13. *Prædicatio Seruæ Dei continuata per tredecim annos.*

audiuit contenta in Articulo, proût in illo continentur, qualiter dicta Serua Dei Ioanna de Cruce, loquente per illam (proût locutus fuit) Spiritu Sancto per tredecim annos cum magnis visionibus, raptibus, ac reuelationibus, docuit magno zelo boni animarum, & in magna quantitate sermonum, quos prædicauit, dùm maneret in raptu, quodque accedebat magnus gentis concursus ad illam audiendum, Principes, ac Domini, Prælati, & Homines docti, ac religiosi, & quod in particulari iuerunt illam auditum Imperator Carolus Quintus, & Cardinalis Don Frater Franciscus Ximenez Archiepiscopus Toletanus &c. §.14. *Accessus Virorum illustrium, & præcipuè Caroli V. Imperatoris ad illam audiendam.*

*Et fol.106. super 16. Articulo. Dixit* = Quod ex rationibus dictis in præcedentibus articulis, scit, & dici audiuit, & est traditio, Deum Dominum nostrum ad instantiam dictæ suæ Seruæ Ioannæ de Cruce, ac loquente illo per eius os proût illud fecit, sicut dictum est per *tredecim annos* in raptibus, ac sermonibus, in quodam sermone intitulato de incredulis, ac festiuitatibus Sanctæ Agnetis, præsentibus existentibus huic sermoni multis viris literis præditis, dixisse esse suam voluntatem, vt scriberetur illud, quod ipse loqueretur per illam eius Seruam, & quod ipse traderet auram sui spiritus, & postea sibi transmisit dictum per Angelum, vt Soror Maria Euangelista eius Socia scriberet quicquid Deus per eius os prædicabat, *quod fuit in vltimo ex dictis tredecim annis*, quia annis anterioribus ob humilitatem dictæ Seruæ Dei, & ad eius præces, steterat absque, quod scriberentur. Et quod Angelus sibi dixit, qualitèr Deus præcipiebat, vt intitularetur *Liber Sancti Conortis*. §.15. *Maria Euangelista sermones prædicatos scripsit in vltimo ex prædictis tredecim annis.*

V. *Testis Soror Maria de Purificatione annorum 82., dicto Proc. Informatino fol. 118. super vndecimo Articulo. Dixit* = Quod contentum in articulo ista Testis dici audiuit vtì in illo continetur à dictis Monialibus antiquis Socijs dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, quod illud viderant in eorum temporibus, qualitèr superiùs dicta loquuta fuerat virtute Diuina *tredecim continuis annis* contentis in articulo, habens magnas visiones, extases, reuelationes, & raptus; quodque accedebant ad illam audiendum Magnus Principum concursus, ac Prælatorum, & Dominorum, ac hominum Doctorum, & Religiosorum, & omnium statuum, & qualitatum, omnes se admirantes de sermonibus adeò doctis, & feruentibus cum tanto zelo, & ardenti charitate, quodque particularitèr, vti articulus refert, venerunt ad illam audiendam Imperator Carolus Quintus, & Cardinalis Don Frater Franciscus Ximenez Archiepiscopus Toletanus &c. §.16. *Serua Dei prædicationem continuauit per spatium tredecim annorum.* §.17. *Concursus Virorum doctrina, ac dignitate præstantium.* §.18. *Accessus etiam Caroli V. Imperatoris.*

VI. *Testis D. Franciscus dell'Alamo annorum 51. dicto Proc. Informatiuo fol. 130. tergo super 11. Articulo. Dixit* = Similiter dici audiuisse à dictis Monialibus antiquis Socijs dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, quæ illud viderunt, superiùs dictam loquutam fuisse multis annis virtute diuina, existens abstracta, & dicebat multas res cælestes, & illam veniebant auditum mul- §.19. *Prædicatio Seruæ Dei continuata per plures annos, ac accessus Caroli V. Imperatoris.*

multæ personæ, particularitèr Imperator, & Magnus Capitaneus, ac Archiepiscopus Toletanus, qui tùnc erat.

§.20. *Prædicatio continuata per plures annos, vt suprà.*

X. *Testis D. Blasius de Gamboa annorum 70. dicto Process. Informatiuo fol. 179. tergo super 11. Articulo. Dixit* = Dici audiuisse à dictis suis maioribus, & antiquioribus, ac personis, & Religiosis superiùs nominatis, necnon per traditionem, & publicam vocem, & famam, dictam Dei Seruam Ioannam de Cruce virtute diuina multis annis concionatam fuisse, in specie magnos sermones, & loquendo in varietate linguarum, absque quod illas didicisset, & ad eius sermones accedebat dicto tempore valdè magnus gentis concursus, tàm Principalium, quàm aliorum Statuum, & in specie Imperator Carolus Quintus, ac dictus Gonzalez Fernandez de Corduba &c.

§.21. *Accessus Caroli V. Imperatoris.*

*Et fol. 185. super 16. Articulo. Dixit* = Quod ex eisdem rationibus superiùs dictis de auditu à suis maioribus, & antiquioribus à personis, & Religiosis antiquis nominatis in primo Articulo, quæ cognouerunt, & tractarunt, vt dictum est, cum dicta Dei Serua Ioanna de Cruce, ac per traditionem, & publicam vocem, & famam dici, audiuisse, qualitèr Maria Euangelista Monialis huius dicti Conuentus, & Socia dictæ Seruæ Dei Ioanne de Cruce miraculosè Deus ei dando donum sciendi legere, & scribere, quod nesciebat, ad hunc effectum scripsit librum, quem vocant *Sanctum Consortium*, & in illo existunt sermones *vnius annorum vltimorum*, quod dicta Dei Serua Ioanna de Cruce concionata fuerat existens abstracta, ac virtute diuina, vt dictum est.

§.22. *Soror Maria Euangelista sermones prædicatos scripsit in vno ex vltimis annis*

I. *Testis ex Processu Remissoriali Apostolico: Soror Maria de Morales Abbatissa annorum 52. fol. 270. super vndecimo Articulo. Dixit* = De auditu à suis maioribus antiquis, necnon per traditionem, & publicam vocem, & famam, & ex libris historiæ, & vitæ scit, & dici audiuit contenta in articulo, vt in illo continetur; desupèr, & ratione illius videlicèt, quod dicta Dei Serua Ioanna de Cruce diuina virtute loquuta fuisset *tredecim annis*, Deus loquendo per suum os, habens magnas visiones, extases, & reuelationes, & quod ad illam audiendum accedebat magnus concursus Principum, Prælatorum, ac Virorum Religiosorum, & Sapientum, ac omnium Statuum, ac sempèr cum omnium admiratione, ex quo audiebant sermones adeò doctos, & feruentes, quos faciebat, ac cum adeò magno zelo, ardentique charitate, & in specie accesserunt ad illam audiendum Imperator Carolus Quintus, ac Cardinalis Don Franciscus Ximenez Archiepiscopus Toletanus &c.

§.23. *Prædicauit Serua Dei spatio tredecim annorum.*

§.24. *Ad eam audiendam plures concurrebant Viri docti, & graues.*

§.25. *Præcipuè accessit Carolus V. Imperator.*

*Et fol. 279. tergo super 16. Articulo, Dixit* = Ex eisdem rationibus dictis de auditu à Monialibus antiquis, & ab aliquibus, & multis illarum, quæ cognouerunt dictam Mariam Euangelistam contentam in articulo, & illud ab ea audiuerunt referri, ac etiam illud sciuerunt, necnon per traditionem, publicamque vocem, & famam, quod dicta Maria Euangelista de mandato Domini, ac reuelatione Sancti Angeli scripserat vnum

§.26. *Soror Maria Euangelista sermones prædicatos scripsit vlti-*

librum

librum nuncupatum *Sanctum Consortium* sermonum, quos dicta Dei Serua Ioanna de Cruce concionata fuerat *vltimo anno ex tredecim*, in quibus, vti superiùs dixerat, loquutus fuerat per os illius Spiritus Sanctus. *mo ex prædictis tredecim annis.*

II. *Testis Soror Constantia dela Camera annorum 60. dicto Proc. Remissoriali Apostolico fol.303. tergo super 11. Articulo. Dixit* = Similitèr dici audiuisse à Monialibus antiquis, quodque illud dici audiuerat à suis maioribus, & antiquioribus Socijs dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, ac per traditionem, & historias, quod contentum in articulo fuerat, vt in illa refertur, videlicèt, dictam Dei Seruam Ioannam de Cruce illos *tredecim annos* loquutam fuisse, vti articulus refert, diuina virtute in raptibus, & extasibus; quodque magnus concursus Gentium erat ille, qui accedebat illam auditum omnium Statuum personarum grauium, & sapientum, ac Religiosorum, & in omnibus causabat magnam admirationem audire adeò altam, supernamque doctrinam in his concionibus, tantumque feruorem, & charitatem; quodque particularitèr illam venerunt auditum Imperator Carolus V., ac Cardinalis D. Franciscus Ximenez Archiepiscopus Toletanus &c. §.27. *Prædicatio Seruæ Dei continuata per tredecim annos.* §.28. *Magnus concursus Virorum dignitate, & doctrina illustriū.* §.29. *Accessus Caroli V. Imperatoris.*

*Et fol.312. super 16. Articulo. Dixit* = Dicere illud, quod dixerat in Articulo vndecimo in specie, & in alijs, & dici audiuisse referri à dictis Monialibus antiquis superiùs relatis, ac per traditionem, & publicam vocem, & famam, & historiam scit, & dici audiuit, ac legit illud, quod articulus refert desuper, & ratione, quod medio dictæ suæ Seruæ Ioannæ de Cruce Deus Dominus noster dotauerat Mariam Euangelistam Sociam dictæ Seruæ Dei, & iste Testis de visu ex eius vita, virtutibus, sanctitate, & miraculis, dono sciendi legere, & scribere, sinè quod ipsa illud sciret, neque ab aliquo fuisset illud docta, ac particulari apprehensiua illius, quod audiebat concionari à dicta Dei Serua Ioanna de Cruce in eius extasibus, ac reuelationibus, quæ de mandato Domini, ac ex reuelatione Angeli scripsit vnum librum magnum nuncupatum *Sancti Consortij* concionum, quas dicta Dei Serua concionata fuerat *in vltimo anno illorum tredecim*, quibus Deus per eius os loquutus fuerat. §.30. *Scriptio Libri sermonum facta per Sor. Mariam Euangelistam in vltimo ex prædictis tredecim annis.*

III. *Testis Soror Hieronyma Euangelista Monialis annorum 57., dicto Proc. Apostolico fol.328. super 11. Articulo. Dixit* = Quod ex eisdem rationibus superiùs dixit scire, & dici audiuit contentum in articulo, vti in illis continetur ratione illius, quod dicta Dei Serua Ioanna de Cruce loquuta fuerit virtute Diuina *tredecim annis*, loquendo per suum os Dominus noster Iesus Christus, existens ipsa semper in raptu, dùm perseuerabat loqui, ac habebat magnas visiones, extases, & reuelationes, ex quibus omnibus accedebat magnus Gentis concursus, Principum, Prælatorum, omnium Sapientum, & Religiosorum omnium Statuum ad illam audiendam, & omnes admirabantur talia mirabilia videre, adeòque altas res audire, & sermones adeò doctos, & feruentes, & cum adeò magno zelo, & ardenti §.31. *Serua Dei prædicauit spatio tredecim annorum.* §.32. *Ad eam audiendam plures accedebant Viri docti, & graues.*

§.33. *Et præcipuè Carolus V. Imperator.*

ti charitate, quodque in specie venerunt ad illam audiendum Imperator Carolus Quintus, ac Cardinalis D. Franciscus Ximenez de Cisneros Archiepiscopus Toletanus.

§.34. *Maria Euangelista sermones prædicatos scripsit invltimo ex prædictis tredecim annis.*

*Et fol. 336. tergo super 16. articulo. Dixit* = Dici audiuisse ab alijs Monialibus antiquis, quæ illud audiuerunt à suis maioribus dici, & à Socijs dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, & à Maria Euangelista contenta in dicto articulo per traditionem, ac publicam vocem, & famam, quod dicta Maria Euangelista de mandato Domini Nostri scripserat librum *Sancti Consortii*, contentum in articulo, sermonum, quos *vltimo anno ex tredecim*, quos, vt dictum est, concionata fuerat dicta Dei Serua &c.

§.35. *Prædicauit Serva Dei spatio tredecim annorum.*

XXII. *Testis D. Petrus Diaz annorum 62. dicto Procefs. Apostolico fol. 502. tergo super 10. articulo dixit* = Similitèr dici audiuisse à tempore, quo habet vsum rationis à dictis suis maioribus, & antiquioribus &c. quodque spatio *tredecim annorum* concionata fuerat, virtute diuina existens abstracta &c.

§.36. *Prædicatio Seruæ Dei continuata per spatium 13. annorum.*

XXIII. *Testis D. Alphonsus Martinez annorum 56. dicto Procefs. fol. 513. tergo super 10. articulo dixit* = quod ex eisdem rationibus superiùs dictis de auditu à suis maioribus, & antiquioribus, ac à dicto eius Socero, & Alphonso Toccados, necnon per historiam, traditionem, ac publicam vocem, & famam scire, dictam Dei Seruam Ioannem de Cruce magnam fortitudinem in Fide habuisse, in illam perseuerando vsque ad eius obitum, quodque spatio *tredecim annorum*, Spiritu Sancto inspirante, fidem concionata fuit magno cum fructu animarum, corroborando in illa multos incredulos, qui ingrediebantur ad illam audiendum, & in specie habita notitia de eo ab Inquisitoribus Fidei, secretò iuerunt illam audiendam animo, & intentione illam puniendi, cogitantes esse doctrinam erroneam, ac in malum iter, & illa audita, quodque illis declarauerat, necnon eorum intentionem cognouerat, videntes hoc, ac doctrinam, quam dicebat, seù profitebatur adeò bonam, & catholicam, se subiecerunt, illam liberè relinquentes ad hoc, vt concionaretur, approbantes eius doctrinam &c.

§.37. *Accessus Inquisitorum, qui secretò eam audierunt, eiusque spiritum, & doctrinam approbarunt.*

§.38. *Prædicauit Serua Dei spatio tredecim annorum.*

XXXVI. *Pater Alphonsus de Espinosa Ordinis S. Francisci annorum 60. dicto Processf. Apostolico fol. 552. super 11. articulo dixit* = Similiter dici audiuisse à dictis Monialibus antiquioribus huius Conuentus, quæ illud dici audiuerunt à suis maioribus, & antiquioribus Socijs dictæ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce, ac per traditionem, & publicam vocem, & famam, & historiam, contenta in articulo successisse, vti in illo continetur, videlicèt, dictam Dei Seruam Ioannam de Cruce locutam fuisse virtute diuina illis *tredecim annis* relatis in articulo, & concionatam fuisse in raptibus, & reuelationibus, quodque iste Testis viderat *librum sermonum*, quos, vt dictum est, concionata fuerat *in vltimo dictorum tredecim annorum* dicta Dei Serua Ioanna de Cruce, & sunt res diuinæ, à Spiritu Sancto dictatæ, quas sine illius auxilio minimè dicere poterat, illud præcipuè

§.39. *Sermones prædicatos scripsit Maria Euangelista in vltimo ex dictis 13. annis.*

vna

vna Mulier sine literis, & hoc scit, vt Theologus, & Concionator, & hoc respondit &c.

Num.6. Idemmet P.Daza contestatur, ad audiendam Dei Seruam prædicantem accessisse Carolum V. Imperatorem.

*Ex historia Vitæ Seruæ Dei scripta à Patre Daza cap. 15. pag.63.* ibi = Il Prouinciale informato di questa merauiglia concedè, ch'Ella nell'estasi fauellando, la potessero vdir persone principali, & a'quali ei concedesse licenza, perchè il Conuento in quei tempi non era di clausura. Con quella nouella licenza dalla fama di tanta marauiglia tratti veniano Ecclesiastici, e Secolari, Predicatori, Letterati, Religiosi di tutti gl'Ordini, Canonici, Inquisitori, Vescoui, Arciuescoui, il gran Capitan Consaluo Fernando di Cordua, il Cardinale di Toledo Don Francesco Ximenez, molti Conti, Duchij, Marchesi, Signori, e Signore di tutto lo Stato testimonj di questo misterio, il quale fù molte volte da loro nel tempo di trè anni veduto, e frà quei, che veder vollero co'proprj occhi questa merauiglia, fù *l'Imperator Carlo V.* nostro Signore, il quale alla Serua di Dio molto affezzionato rimase.

## PROTESTATIO PATRIS COPONS AD CENSVRAS EDITAS CONTRA LIBRVM SERMONVM.

Num.7. Protestatio P. Copons ad censuras editas contra librum Sermonum, *de qua pag.* 44., *&* 45.

Conueniunt itaque, qui de Venerabili Ioanna à Cruce scripsere, hanc Venerabilem Virginem post admirabilem pueritiam in sæculo actam, & in Religione in omni virtutum genere exercitatam vitam, diuinisque reuelationibus, ac visionibus etiam ab vberibus assuetam, tandem iam matura ætate factam fuisse super eam manum Domini admirabilem. Etenìm non per vnum, aut duos dies, menses, vel annos, sed per tredecim annos continuos in altissima extasi rapta, & omni humano sensu destituta Beata hæc Virgo, per os suum diuinus Spiritus sacros Euangelij textus exponebat, ac secreta reuelabat mysteria. Ita frequenter, vt ad octauum diem communiter, & non semel frequentiùs contingeret: ita in publico, vt tota ferè Hispania ad prodigium conflueret, audiret, & miraretur. Non enim importunum verba Lucæ Vuadingi, quæ habentur tom. 8. Annalium Minorum hìc transcribere: Annos tredecim, postquam per menses aliquos obmutuit, varijs linguis loquebatur: [ nota mirabile ] difficilia Sacræ Scripturæ explanabat, pleraque reuelabat &c., vt concionantem audirent, ex omni genere hominum magna adueniebat multitudo, atque inter hos multi heroes, Principes, Prælati, Episcopi, Franciscus Cardinalis Ximenez, Magnus ille Dux Gundisaluus Fernandus à Corduba, & ipse Carolus Cæsar Augustus ( Testes habemus plurimos, & omni acceptione maiores ) quorum singulis, & si nullum videret, ea dicebat, quæ conditioni, & malis, quibus laborabat, erant opportuna [ hoc diuini Numinis, cuius proprium rimari arcana cordium est, dat argumentum ] Penetrabant autem sermones Cordis intima, neque vllus erat, qui ad mores refor-

man-

mandos non compungeretur ( diuini eloquij hæc sunt signa,& quæ sequuntur ) Missus Toleto quidam ex Fidei Inquisitoribus simulata veste concionantem in raptu audiuit; ità illa locuta est, & hominem commouit, vt propè sermonis medium genua flexerit, eoque corporis habitu reliquam partem exceperit ( vt à Fidei Iudice Testem acciperet ) tanto concursu Populum &c.& in discretis quorundam experimentis commotus Minister Prouincialis Castellæ, cui subest Monasterium, præcepit, vt nullus deinceps in conspectum raptæ, aut concionantis admitteretur. Ità factum est; sed dum ad cubiculi ostium vna ex Sororibus accederet, vt quæ dicebat audiret, prospiciens per rimulas vidit Aues multas erectis rostris,quasi attentè loquentem audientes. Vocatis ergo alijs, quæ id ipsum viderunt, iudicatum est, vt ab hominibus audiretur, quorum defectum Aues supplebant &c. Quæ si attentè perpendantur, non video qua humana prudentia possit quis de vera existentia horum sermonum, deque illorum excellentia, & diuina origine dubitare, in quantum per os Virginis prolatorum. Pendantur temporis diuturnitas, publicitas negocij, concurrentium numerositas, & Maiestas, omniumque laus, & admiratio, & procul dubio existentia, excellentia, & rei magnitudo humanæ rationi patebunt. Quod si præuium per menses silentium admodum, quo Zachariæ ante quam canticum proferret, inditum, si variarum locutio linguarum, si Auium ad audiendum accessus, si accedentium interiorum penetratio, si fructus optimi compunctionis, reformationis, & ad Fidei veritatem conuersionis: Si huius Virginis laudabilis vita, cuius virtutes tanquam heroicæ sunt approbatæ à Sac.Rit.Congregatione die. . . mensis . . . si tandem admirabilis incorruptio corporis, quod diuini Spiritus fuit ad loquendum Instrumentum electum, in qua vsque ad præsens perseuerat ab anno 1534. quo è vita discessit; si inquam hæc omnia attendantur ipsa fidei pietas flectitur, ac fateri facilè audet, minimè esse credibile, quod summa Dei bonitas pateretur, rem non suam tantis mirabilibus Deo dignis fulcire. Sic discurro de sermonibus in se, seù vt per os Venerabilis Ioannæ extra se raptæ prodierunt.

Superest modo de his ipsis Sermonibus aliquid dicere: Est enim aliquis non ignobilis historiographus, qui dixerit eos [ acceptos calamo à Maria Euangelista eiusdem Monasterij alumna, cui hæc gratia à Domino concessa est, vt dissertè, & integrè scriberet post concionem quidquid in illa.Virgo proferebat, cum prius neque scribere sciret, neque legere ) quod si verum esset magnam conciliaret erga sermones hos existimationem, sed qui verum inquiro, hoc esse à vero alienum ostendo duplici capite &c. *sequitur igitur, sermones hos minimè à Maria Euangelista conscriptos fuisse &c., & multo minùs esse calamo acceptos dictante Venerabili Ioanna*. Ex quibus facilè erit iudicium ferre de auctoritate, quam sibi deuincunt, & Fide, qua digni sunt sermones isti &c.De ijs ergo Sermonibus

§. 1.
*Expressa eiusdē protestatio, librum sermonum Romæ existentem, non esse illum conscriptū à Sor Maria Euangelista.*

bus, vt ſic conſcriptis, & examini traditis, ſparſa collegit; quidam apprimè doctus, quędam tanquam indigna; quæ nihilominùs mihi attentè conſiderata, omni indignitate carere viſa ſunt.

REVISA.

*Ioannes Prunettus Sub-Promotor Fidei.*